SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXVII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.



XXVII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis
et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1874.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

ECCLESIA CHRISTI

OPUSCULA SELECTA.

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

Elenchus eorum, quae hoc volumine continentur:

De Ecclesia corpore Christi mystico

DISSERTATIO.

---

1. In praecedentibus duobus tomulis egimus de Ecclesiae capite visibili, de romano pontifice. Jam audiendi sunt patres de *Ecclesia* ipsa disserentes. Plura eaque praeclarissima continentur jam praecedentibus opusculis, ut in l. *de unitate Ecclesiae* s. Cypriani t. 1. et ejus epistolis t. 21.; in opere s. Optati *de schismate donatistarum* t. 10.; in Chrysostomi demonstratione, *quod Christus sit Deus* t. 15. Aliorum quoque patrum doctrinam de variis Ecclesiae proprietatibus et praerogativis, de ejus necessitate, catholicitate, apostolicitate, authentico magisterio data occasione proposuimus in dissertatione de arca Noe Ecclesiae typo; in praefatione t. 9. et in annotatione p. 36. t. 6. His modo addemus varia Augustini de Ecclesia scripta, cum ipse forte prae ceteris patribus varias Ecclesiae proprietates et dotes in suis adversus donatistas disputationi-

bus illustraverit atque defenderit. Ejusmodi scripta sunt l. *de moribus Ecclesiae*, in quo Ecclesiam ab ejus moribus i. e. a doctrina morum atque virtutum cultura commendat; ad catholicos epistola contra donatistas seu l. *de unitate Ecclesiae*, in quo praesertim ejus tuetur catholicitatem; *Psalmus contra partem Donati*, quae est velut catechetica institutio, in qua plura, quae Ecclesiam spectant, attingit. Quaedam saltem ex aliis ejusdem operibus in hac dissertatione delibabimus.

2. Praeclarissima vero sunt quae apud patres de Ecclesia leguntur: illam multipliciter adumbratam et praefiguratam vident in vetere Testamento[1]. Ab illa indigesta mundi materia

1) Ita in *opificio sex dierum*, in *formatione Evae*. Augustinus tr. 9. in Joan. n. 10: »Dormit Adam ut Eva fiat; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia . . . cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata sunt?« in *paradiso*, unde Anastasius sinaita in prolixo opere: Anagogicae contemplationes in Hexaemeron, quod totum de Ecclesia mystice explicat, l. 7. testatur: »Veteres ergo Ecclesiarum interpretes, Philo, inquam, philosophus et tempore aequalis apostolis et celebris Papias hierapolitanus, Joannis evangelistae discipulus, et Irenaeus lugdunensis, et Justinus martyr et philosophus, et Pantaenus alexandrinus et Clemens

verbo Dei et ineffabili Spiritus s. virtute, qui ferebatur super aquas (Gen. 1, 2.), ad speciosissimum hunc ordinem redacta quidquid deinceps per singulos V. T. libros illustrius factum ge-

---

Stromateus et eorum asseclae spiritualiter sunt contemplati de Ecclesia Christi, ea quae scripta sunt de paradiso;" in *arca Noe* et *domo Rahab* (cf. dissert. in opusc. t. 3); in *variis patriarcharum uxoribus*, in *populo Israel*, in *vellere Gedeonis* (cf. infra Augustinum de unit. Ecclesiae n. 10); in *civitate Jerusalem* etc. Neque mirum quod Ecclesiam invenerint ubique adumbratam, praefiguratam atque praedictam: est enim ipsa eximium ss. Trinitatis opus, pretiosissimi sanguinis Christi fructus, ingenii ipsius cura, ut phrasi Tertulliani utar (de resur. carn. c. 9.), ac singulare manuum suarum opus: est ipsius regnum, sponsa, imo et corpus. Cum ergo finis legis sit Christus (Rom. 10, 4) universumque antiquum Testamentum Christum portendat, Christum loquatur; mirum esse non debet, quod post Christum princeps prophetiae objectum ejus sit regnum, ejus sponsa atque corpus mysticum i. e. Ecclesia. Hinc Augustinus in gestis collationis carthag. die 3. n. 101: „Nos eam Ecclesiam retinemus, quam in illis Scripturis invenimus, in quibus etiam cognovimus Christum. Scripturae quidem nostrae . . . Christum et Ecclesiam tamquam sanctum commendant conjugium: Christum sponsum, illam sponsam. Ubi illum cognoscimus, ibi et illam invenire debemus." Cf. ep. 105. al. 166. n. 14. s.; contra Cresconium l. 3. c. 64. ss.; serm. 129. al. 45. de verbis Dom. n. 5, 6. etc.

stumque reperitur ad Ecclesiam transferunt, de Ecclesia interpretantur. Hujus origines conferunt cum mirabili Christi conceptu[1]). Sicut

---

1) Cf. patrum effata opusc. t. 10. p. 92. annot., quibus adde Augustinum enchiridii n. 34. (opusc. t. 16.); de virgin. n. 2.; Fulgentium de incarn. et gratia c. 20. n. 40; Chrysologum s. 117. et Caesarium arelatensem hom. 3., qui ita scribit: „Conferamus, si placet, has duas matres (Mariam et Ecclesiam), et utriusque generatio fidem nostram in alterutra corroborabit. Mariam secreto implevit illapsu s. Spiritus obumbratio, et Ecclesiam in fonte benedicto sancti Spiritus maritavit infusio. Maria filium sine peccato genuit, et Ecclesia in his, quos generavit, peccata consumpsit. Per Mariam natum est quod in principio erat, per Ecclesiam renatum quod in principio perierat. Illa plurimis generavit, haec populos. Illa ut novimus virgo permanens semel peperit filium, haec semper parit per virginem sponsum.“ Sed etiam quoad alia praeclara cernitur analogia inter Christum caput et Ecclesiam ejus corpus. Sicut enim ille vagiit in praesepio, fugit in Aegyptum, vitam degit diu humilem: ita et Ecclesia diu gemuit in cryptis, proscripta fuit atque humilis admodum conditionis. Sicut Christus pertransiit benefaciendo et sanando omnes, ita et Ecclesia per secula, nationes regionesque pertransiit benefaciendo, illuminando gentilium tenebras, sanando corruptae multitudinis vulnera, sublevando pauperes, oppressos, miseros. Sicut illum oportebat per multas passiones intrare in regnum suum (Luc. 24, 26), ita Ecclesia quamdiu degit in terris est militans ac nonnisi per

enim Christus caput conceptus est ex intemerata Virgine, quam Spiritus s. obumbravit, ita nata est Ecclesia die Pentecostes descendente de coelis s. Spiritu (Act. 2, 1. ss.) et quotidie nascitur in suis membris ex utero virginali fontis baptismalis et Spiritu sancto (Joan. 3, 5). Sed nil praestantius de Ecclesia dici potest, quam quum

---

multas tribulationes ad triumphum perveniet sempiternum. Ille divinis refulsit dotibus, haec coelestibus ornatur praerogativis: sicut duplex in illo secerni debet natura, licet unus sit persona, unde errant sive qui negant naturam divinam, ut ebionitae, sociniani etc., sive qui inficiantur humanam ut docetae, sive qui unionem dissolvunt ut nestoriani etc., ita in una Ecclesia duplex secerni debet non dividi elementum, humanum et divinum, adeo ut errent sive qui eam revocant ad merum institutum humanum subtracto quovis charactere supernaturali, sive qui negant ejus visibilitatem excludendo ab ea omnes peccatores omnesque eos, qui in gratia non perseverant, sive qui illam scindunt in duas ecclesias, vocatorum alteram et visibilem, justorum alteram et invisibilem. Sicut non licet negare Christi divinitatem propter miserias et passiones, quibus ut homo erat obnoxius, adeo ut aliquandiu careret omni specie atque decore, essetque despectus et novissimus virorum, vir dolorum (Is. 53, 2. s.), ita propter humanas miserias atque fragilitates, quibus Ecclesiae membra semper plus minusve erunt obnoxia, quamdiu in hac lacrimarum valle peregrinantur et corpus portant, quod aggravat animam (Sap. 9, 15), non licet ejus praerogativas coelestes in dubium vocare.

Christi corpus appellatur. De hac appellatione liceat nobis patrum vestigia sectantes nonnihil disserere.

3. Jam s. Paulus Ecclesiam corpori, fideles membris confert[1]. Et revera inter quamlibet societatem ordinatam et corpus non una intercedit similitudinis ratio. Sicut enim corpus multitudine constat membrorum, quae tamen perfectione, forma, functione mira discernuntur varietate: ita societas quaelibet pluribus constat membris, quae tamen non sunt aequalia, sed dignitate, officio, juribus distinguuntur. Sicut autem in corpore membrorum varietas ad unitatem harmoniamque revocatur partim vinculis externis, quae illa invicem copulant, partim, imo praecipue anima, quae omnia et singula informat membra et in unitate harmonica continet, ita etiam in qualibet societate membrorum varietas unitate finis, quem omnes aspirant, vinculis earundem legum ejusdemque regiminis seu directionis ad concordiam redigitur. Cum ergo Ecclesia sit etiam societas ordinata, corpori ea conferri poterit, eoque magis, quo major in tanta fidelium multitudine et varietate unitas, quo ma-

---

1) Cf. praesertim Rom. 12, 4., 1. Cor. 10, 17; 12, 12; Eph. 4, 4.

nifestior vita illa singularis et supernaturalis, quam vivit.

4. Verum Ecclesia non solum corpus vocatur, sed etiam cum honorifico apposito *Christi*[1]). Quae appellatio cum saepe in divinis literis occurrat, saepissime vero apud patres, negligi non debet, imo omni attentione est digna. Corpus autem Christi dicitur profecto idcirco, ut significetur, eum exsistere habitum inter Christum et Ecclesiam, qui accedit ad habitum, quo caput ad corpus et vicissim corpus ad caput refertur. Triplici autem habitu caput ad corpus refertur. Habitu scil. 1. principatus et eminentiae, qua cunctis membris antecellens iis ipsis velut ex arce quadam prospiciens consulit ac moderetur. Jam vero Christum cunctis Ecclesiae membris antecellere manifestum est[2]). In ipso enim est plenitudo omnium gratiarum et ipsum constituit Pater coelestis *ad dexteram* suam in coelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: et omnia subjecit sub pedibus ejus,

---

1) Cf. 1. Cor. 12, 27.; Ephes 1, 22. s.; 4, 12. ss.; 5, 23. ss.; Coloss. 1, 18. — 1. Cor. 6, 15.

2) Cf. Matth. 28, 18; Eph. 1, 20; 1. Petr. 3, 22.

et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius. Neque ullum capitis munus proprium Servator praetermittit[1]), ut praeclare ostendit Paulus Ephes. 5, 23. ss. Neque mirum, cum idem Paulus scribat: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (1. Tim. 5, 8). Quid autem domesticum est magis ac proprium capiti quam corpus suum?

5. De hac prima Christi praerogativa et proprietate, propter quam dicitur Ecclesiae caput, et haec ejus corpus, praeclare disserunt patres. „Quomodo ergo anima, inquit Augustinus de agone christ. c. 20., totum corpus nostrum animat et vivificat, sed in capite et vivendo sentit, et audiendo et odorando et gustando et tangendo, in ceteris autem membris tangendo tantum: et ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum: quia ipsius animae, quae consulit corpori, quodammodo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent: sic universo

---

1) Hinc Augustinus in Ps. 85. n. 5.: „Caput autem nostrum ad dexteram Patris interpellat pro nobis: alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.“

populo sanctorum tamquam uni corpori caput est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus[1].« Similia docet s. Gregorius M. Moral. l. 2. c. 56. n. 92. ita scribens: „Recte ergo et cum in sanctis praedicatoribus maneat (Spiritus s.), in Mediatore singulariter manere perhibetur, quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur et tangat, ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, a quo per naturam nunquam recedit.« Quod ita eloquenter exponit Chrysostomus in Ps. 44, 3: „Omnis gratia effusa est in illud templum. Non enim dat illi Spiritum in mensura: nos

---

1) Cf. his similia ep. 57. Plura alia patrum testimonia cf. apud Thomassini de incarnatione Verbi l. 6. c. 7. Quomodo autem Christus caput quoque sit justorum V. T., ingeniose explicat s. Augustinus de catechiz. c. 3. n. 6. (opusc. 8, 103. s.), quibus similia habet in Ps. 61. n. 4. et ex Augustino Eucherius lugdunensis vel quicunque alius est auctor commentarii in Genesim, qui sub ejus circumfertur nomine, in Gen. 25, 24. ss.

enim de ejus plenitudine accepimus (Joan. 1, 16.), illud autem templum integram et universam gratiam accepit . . . in hominibus autem parum quid et gutta ex illa gratia. Propterea non dixit: Do Spiritum, sed *effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (Joel. 2, 28). Hoc itaque evenit. Omnis enim orbis terrarum accepit ex illo Spiritu. Incepit enim donum a Palaestina, processit autem in Aegyptum, in Phoeniciam, Syriam, Ciliciam, Euphratem, Mesopotomiam, Cappadociam, Galatiam, Scythiam, Thraciam, Graeciam, Galliam, Italiam, omnem Lybiam, Europam, Asiam, in ipsum oceanum. Quid longiori oratione opus est? Quantum terrae sol respicit, tantum pervasit haec gratia: et haec gutta ac stilla Spiritus implevit universum orbem terrarum scientia.... Gratia tamen quae data est in tot regionibus est aliqua tantum pars et arrha doni . . . Vide autem quantus sit fons. Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiae; alii vero sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alii vero fides, alii gratiae curationum, alii vero operationes potestatum in eodem Spiritu; alii autem prophetiae, alii discretiones spirituum, alii genera linguarum (1. Cor. 12, 8. ss.) . . . Considera ergo quam sit omni ex parte sufficiens gratia Spiritus, quae universo orbi terrarum tanto tempore sufficit, et neque

circumscribitur, nec consumitur, sed omnes quidem implet opibus et gratia; ipsa vero minime consumitur.«

6. Hanc doctrinam s. Thomas quoque saepius[1]) inculcat. Ita docet lect. 1. in 1. Cor. 11. quatuor in capite naturali considerari posse. „*Primo* quidem perfectio, quia cum cetera membra unum solum sensum habeant, scil. tactum, in capite vigent omnes sensus: et similiter in aliis viris inveniuntur singulae gratiae, secundum illud quod dicitur infra: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae* (1. Cor. 12, 8), sed in homine Christo est plenitudo omnium gratiarum: non enim ad mensuram dat ei Deus spiritum, ut dicitur Joan. 3, 34. *Secundo* in capite invenitur sublimitas, quia ut scil. in homine est superius omnibus membris, ita etiam Christus supereminet non solum omnibus hominibus, sed etiam omnibus angelis secundum illud Eph. 1, 20. . . . *Tertio* in capite invenitur influentia, quia scil. quodam modo influit ceteris membris sensum et motum. Ita a capite Christo in cetera membra Ecclesiae motus et sensus spiritualis derivatur, secundum illud Coloss. 2, 19.: *Non te-*

---

1) Cf. summae theol. 3. p. q. 8. a. 1.; q. 29. de verit. a. 4.

nens caput, ex quo totum corpus per nexum et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. Quarto in capite invenitur conformitas naturae ad cetera membra, et similiter in Christo ad alios homines secundum illud Philip. 2, 7.: *In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*".

7. Refertur dein 2. caput ad corpus habitu vivificae virtutis, quae in capite non secus ac in fonte plenissime residens ex ipso in reliqua obnoxia membra totumque cohaerens corpus certa lege dimanat. De hoc analogo nexu Christum inter et Ecclesiam certi reddimur ex divinis literis, ubi legimus: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* (Joan. 1, 16), quae verba supra n. 5. praeclare exposuit Chrysostomus. *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Joan. 6, 58). Pluribus vero hunc influxum Christus ipse illustrat similitudine vitis, a qua palmites omnes virtutem fecunditatemque mutuantur[1]). *Veritatem autem facientes*[2]) *cres-*

1) Joan. 15, 1. ss. Cf. Katholik 1874. fasc. imnsis Martii p. 265., ubi bene disseritur de hoc enfluxu Christi capitis in Ecclesiam corpus suum.

2) Eph. 4, 15. s. In h. l. nonnihil obscurum cf.

camus in caritate in illo εἰς αὐτὸν, ad ipsum, qui est exemplar et norma nostra, aspi-

---

Estium. S. Thomas ita nititur illum exponere (Lect. 5. in Eph. 4): „Sciendum est, quod corpus naturale tria habet, scil. compactionem membrorum ad invicem, ligationem per nervos et mutuam subministrationem . . . Spiritualiter ergo sicut unum corpus efficitur ex multis his tribus modis scil. per compactionem seu adunationem, per ligationem et per mutuam operationem et subventionem; ita omnia, quae sunt a capite corporali, scil. compactio, nervorum ligatio et ad opus motio, fluunt a capite nostro in corpus Ecclesiae. Et *primo* compactio per fidem, unde dicit: *Ex quo*, scil. Christo, qui est caput nostrum, ut modo dictum est, *totum corpus compactum est* i. e. coadunatum . . . *Secundo* fluit a Christo capite in corpus Ecclesiae suae mysticum connexio et colligatio, quia oportet adunata aliquo nexu vel vinculo necti vel colligari; et propter hoc dicit: *Et connexum per omnem juncturam subministrationis* i. e. per fidem et caritatem, quae connectunt et conjungunt membra corporis mystici ad subministrationem . . . *Tertio* a capite Christo in membris, ut augmententur spiritualiter, influitur virtus actualiter operandi, unde dicit: *Secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit*, quasi dicat: Non solum a capite nostro Christo est membrorum Ecclesiae compactio per fidem, nec sola connexio vel colligatio per mutuam subministrationem caritatis; sed certe ab ipso actualis membrorum operatio sive ad opus motio secundum mensuram et competentiam cujuslibet membri. Unde dicit, quod *facit augmentum corpo-*

rantes, imitatione satagentes ipsum quantum licet assequi, *per omnia, qui est caput Christus, ex quo*, cujus virtute et influxu, *totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis* i. e. per vincula fidei, caritatis et ceterarum virtutum, quibus membra mutuo nectuntur et sibi mutuam quodam modo operam praestant atque auxilium (cf. 1. Cor. 12, 21. s.) *secundum operationem* capitis Christi *in mensuram*, pro mensura, modo et exigentia *uniuscujusque membri augmentum corporis* i. e. sui ipsius *facit*, incrementum sibi conveniens capit, *in aedificationem sui in caritate*, et ita augescit, aedificatur et proficit in caritate, vel etiam per caritatem. Quae

---

ris secundum operationem et mensuram uniuscujusque membri debite mensurati: quia non solum per fidem corpus mysticum compaginatur, nec solum per caritatis subministrationem connectentem augetur corpus, sed per actualem compositionem ab unoquoque membro egredientem secundum mensuram gratiae sibi datae et actualem motionem ad operationem, quam Deus facit in nobis . . . Sed ad quid augmentat Deus unumquodque membrum? Ut corpus aedificet . . . Et haec omnia fiunt *in caritate*, quia ut dicitur 1. Cor. 8, 1. *caritas aedificat*; vel in caritate facit Deus haec omnia i. e. ex mera dilectione . . . Hoc est ergo quod dicit: *In aedificationem sui in caritate.*

paucis ita expressit Theodoretus h. in l.: „Quemadmodum caput omnibus membris corporis suppeditat vim sentiendi, sentiendi enim facultatis fons est cerebrum: ita etiam Christus Dominus obtinens locum capitis, dispertit dona Spiritus s. in unam compagem connectens membra corporis.“ Huic Pauli testimonio illud ejusdem apostoli affine est, quod legitur in ep. ad Coloss. 2, 19: *Ex quo* (Christo capite) *totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* i. e. ex quo Christo capite dependens atque influxum accipiens universum corpus, quod est Ecclesia, per aptas connexiones membrorum constitutum et compactum crescit secundum Deum seu augmento divino et spirituali[1]).

1) Utriusque textus summam ex graecis potissimum interpretibus Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto et Oecumenio collectam ita exhibet Petavius de incarnat. l. 12. c. 17. §. 8.: „Quemadmodum corporis membra sibi invicem conserta et compacta sunt, quo fit, ut vitales animalesque spiritus per universa etiam minima quaeque membra fundantur, et incrementum ac robur singula capiant; ita Christi corpus ex membris suis constat, quae spiritali quodam nexu fidei et caritatis adstricta copulantur ac secum pariter cohaerent et cum capite Christo. Atque ut in corpore caput nervorum

8. Patres vero toties fere vivificum hunc Christi capitis in membra influxum asserunt, quoties docent, quidquid gratiae nobis inest, ex Christo in nos redundare. Quod cum compertissimum ex illis sit, testimoniis non est comprobandum[1]). Tantum quaedam verba magis singularia Origenis adducemus, qui ita scribit adversus Celsum l. 6. n. 48: „Discimus ex divinis Scripturis, totam Dei Ecclesiam esse Christi corpus a Dei Filio animatum, membra autem illius corporis ut totius eos esse omnes, qui credunt: quoniam sicut anima vitam et motum impertit

---

habet principium (ut ajunt Theodoretus et Theophylactus) adeoque sensiles vel animales ab eo fonte manant spiritus: qui in cetera membra eatenus diffunduntur, quod certis commissuris et compagibus sive juncturis cum reliquis membris et ipso praesertim capite cohaerent et coagmentata sunt singula (non enim separata vel luxata vitalem et animalem succum in sese trajectum capiunt), sic in mystico Christi corpore sui sunt nexus et coagmentationes, per quas inter se sociata et secum invicem velut agglutinata membra cum capite junguntur: nec aliter transfuso ab ipso capite spiritu ejusque vi et efficientia viviscunt ac vegetantur et incrementum capiunt. Hujusmodi juncturam caritatem esse dicit Apostolus“ etc.

1) Cf. supra p. 5. pulcherrima Chrysostomi verba. Cf. Scheeben Mysterien des Christenthums §. 58.

corpori, quod a seipso natura sua moveri vitaliter non potest, ita Verbum corpus totum seu Ecclesiam ad ea, quae opus sunt, movens et agens etiam singula membra eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, movet, ita ut nihil sine Verbo faciant.«

9. Sed locum hunc eximie illustrant theologi scholae, e quibus primus audiri meretur doctor angelicus, qui verba Pauli asserentis Ecclesiam esse corpus Christi et *plenitudinem* ejus ita profunde explicat[1]: „Quaerenti cur in corpore naturali sint tot membra, scil. manus, pedes, os et hujusmodi, respondetur, hoc esse ideo, ut deserviant diversis operationibus animae, quarum ipsa potest esse causa et principium, et quae sunt virtute in ipsa: nam corpus factum est propter animam et non e converso: unde secundum hoc corpus naturale est quaedam plenitudo animae. Nisi enim essent membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plene exercere. Similiter itaque est hoc de Christo et de Ecclesia: et quia Ecclesia est instituta propter Christum, dicitur quod Ecclesia est *plenitudo ejus*, scil. Christi i. e. ut omnia, quae virtute sunt in Christo, quasi quodammodo in membris ipsius Ecclesiae impleantur,

1) Lect. 8. in Eph. 1, 23. Cf. etiam supra n. 6.

dum scil. omnes sensus spiritales et dona et quidquid potest esse in Ecclesia, quae omnia superabundanter sunt in Christo, ab ipso deriventur in membra Ecclesiae et perficiantur in eis. Unde subdit: *Qui omnia in omnibus adimpletur*, scil. dum hunc quidem, qui est membrum Ecclesiae, facit sapientem secundum perfectam sapientiam, quae est in ipso, illum vero justum secundum perfectam justitiam et sic de aliis.“ Quae expressa sunt ad haec Cassiani de coenobiorum institutis l. 5. c. 4. verba: „Quia licet necdum Christum omnia factum secundum Apostolum (1. Cor. 15, 28) videamus in omnibus, tamen hoc modo possumus eum, id est per partes in omnibus invenire. De ipso enim dicitur, *qui factus est nobis ex Deo sapientia, justitia, sanctitas et redemptio* (1. Cor. 1, 30). Dum ergo in alio sapientia, in alio justitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas, in alio patientia reperitur, membratim Christus per unumquemque sanctorum divisus est. Concurrentibus vero universis in unitatem fidei ac virtutis, redditur in virum perfectum, plenitudinem sui corporis (Eph. 1, 23) in singulorum membrorum compage ac proprietate perficiens. Donec ergo veniat illud tempus, quo Deus sit omnia in omnibus, in praesenti potest hoc quo diximus modo id est per

partes virtutum esse in omnibus Deus, licet nondum per plenitudinem earum omnia sit in omnibus.« Nec dissimilis est doctrina s. Hieronymi ep. 55. al. 147.: „Quod ait Apostolus: *Ut sit Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15, 28), hoc sensu accipiendum est: Dominus ac Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia in Salomone sapientia, in David bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees et Paulo zelus, in Joanne virginitas, in ceteris cetera. Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis[1]«.

10. „Sicut spiritus hominis, inquit Hugo a s. Victore[2]), mediante capite ad membra vivificanda descendit, sic Spiritus s. per Christum venit ad christianos. Caput enim est Christus, membrum christianus. Caput unum, membra multa, et constat unum corpus ex capite et membris, et in uno corpore spiritus unus: cujus

1) Similia et alii patres docent occasione praesertim verborum Pauli 1. Cor. 15, 27. Cf. annot. opusc. 22, 169.

1) L. 2. de sacramentis fidei p. 2. c. 1. Similia docet Guilelmus antisiodorensis Summae aureae l. 3. tract. 1. c. 4. q. 2.

plenitudo quidem in capite est, participatio in membris. Si ergo corpus unum est et spiritus unus, qui in corpore ipso non est, a spiritu vivificari non potest. Per fidem membra efficimur, per dilectionem vivificamur. Per fidem accipimus unionem, per caritatem accipimus vivificationem«. Alexander Halensis ita statuit[1]: »Ex hac unione (divinae naturae et humanae) manet ei plenitudo gratiae: at pleni est largiori seu effundere aliis de sua plenitudine, ideo sequitur tertius actus Christi in quantum homo, scil. infundere hominibus sensus spirituales seu largiri gratiam, prout dicitur de ipso: De plenitudine ejus accepimus omnes (Joan. 1, 18). Et secundum hunc actum dicitur caput. Capitis enim est influere sensum et vitam vel motum aliis membris.«

11. Refertur 3. caput ad corpus habitu penitissimae conjunctionis, qua ex capite et corpore unum aliquid prodit. Tali porro habitu Christum ad Ecclesiam referri, patet 1. tum ex hac ipsa appellatione tam frequenti, quae sponte sua ejusmodi conjunctionem ob oculos ponit, et citra illam vix sensum prae se ferret: tum ex alia comparatione, qua Christus suum ad Ecclesiam habitum adumbrat se viti, palmitibus

---

1) Summae p. 3. q. 18. membr. 6. a. 2. §. 3.

justos conferens: inter palmites vero et vitem arcta viget conjunctio. Et revera 2. tanta est conjunctio inter Christum et Ecclesiam, ut illius nomen mirabili quadam trajectione ipsi communicetur Ecclesiae. Hoc saltem plures patres inferunt ex verbis Pauli: *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus* (1. Cor. 12, 12). „Cum oportuisset dicere, inquit Chrysostomus h. in locum (hom. 30. n. 1.), *ita et Ecclesia*, hoc enim consequens erat, hoc quidem non dixit, sed illius loco Christum ponit in altum extollens orationem et auditorem magis pudore afficiens. Hoc autem vult significare: ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus ejus sic vocans.“ Ita etiam Theodoretus, Primasius, Oecumenius et Theophylactus in h. l.; Fulgentius ad Monimum l. 2. c. 10. scribens: „Et cum vas electionis dicat, quia Christus caput est corporis Ecclesiae, ipsum tamen corpus Christi non dubitat Christum veraciter appellare.“ Imo Gregorius nyssenus affirmat (de vita Mosis t. 1. p. 226.) „Ecclesiam a Paulo saepe Christum nominari.“ Sed non

solum 3. Christus caput Ecclesiae suum indulget nomen, sed et praerogativae plane divinae ex illo in hanc redundant, cujusmodi sunt infallibilitas in docendo, virtus multiplex ad sanctificandum, constantia invicta adversus inferorum portas[1]) etc.: ipse vero Christus in se transfert quae propria sunt membrorum[2]). Hoc saepe s. Augustinus[3]) confirmat ex Act. 9, 5. ut ennar. in Ps. 142. n. 3.: „Ergo ipse Dominus

1) „Ecclesia namque sponsa Christi, templum Altissimi, civitas Regis magni, tanta viget potentia, decore, sapientia, quod nec hoste vinci, nec mundo nec proximo seduci, nec adversitate superari, nec prosperitate inclinari, nec aura sinistra ullatenus valet fuscari.“ S. Julianus episcop. toletanus (vel auctor anonymus) comment. in proph. Nahum n. 18. (Mig. 96, 716).

2) S. Thomas in Ps. 21, 1, 2: „Haec est una de regulis supra in principio Psalterii positis, quod ea quae pertinent ad membra, dicit Christus de se, propter hoc quod sunt sicut unum corpus mysticum Christus et Ecclesia, et ideo loquuntur sicut una persona et Christus transformat se in Ecclesiam, et Ecclesia in Christum.“ Cf. etiam in titulum Ps. 30. De hac veluti communicatione idiomatum cf. Scheeben, die Mysterien des Christenthums §. 56.

3) Cf. de hoc doctrinae capite etiam eundem Ennar. in Ps. 62. n. 2.; in Ps. 85. n. 1.; in Ps. 86. n. 5.; in Ps. 89. n. 5.; tract. 28. in Joan. n. 1.; tract. 10. in ep. Joan, n. 3.; ep. 140. n. 18. et s. Leonem serm. 70. c. 5.

J. Christus caput et corpus voluit etiam loqui in nobis, qui dignatus est mori pro nobis: membra sua nos fecit. Aliquando itaque ex persona membrorum suorum loquitur, aliquando ex persona sua tamquam capitis nostri. Habet aliquid ille, quod dicat sine nobis, nos sine illo nihil possumus dicere. Apostolus dicit: *Ut suppleam quae desunt pressurarum*, non mearum, sed *Christi* (Colos. 1, 24.) *in carne* non jam Christi, sed *mea.* Patitur, inquit, adhuc Christus pressuram non in carne sua, in qua adscendit ad coelum, sed in carne mea, quae adhuc laborat in terra. Christus, inquit, pressuram patitur in carne, *vivo non jam ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20). Nisi enim Christus et in membris suis h. e. fidelibus suis pressuram ipse pateretur, Saulus in terra Christum in coelo sedentem non persequeretur (Act. 9, 5). Denique aperte hoc exponens quodam loco, *sicut enim corpus unum est*, inquit (1. Cor. 12, 12), *et membra multa habet, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus.* Non ait ita et Christus et corpus, sed corpus unum, membra multa, ita et Christus. Totum ergo Christus. Et quia totum Christus, ideo caput de coelo: *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris* (Act. 9, 5.)? Tenete hoc et fixum om-

nino commendate memoriae tamquam filii ecclesiasticae conditionis et fidei catholicae, ut agnoscatis Christum caput et corpus eundemque Christum Verbum Dei unigenitum aequalem Patri, et inde videatis, quanta gratia pertingatis ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus.«

12. Libenter vero s. doctor hoc doctrinae caput exemplo ex humana vita desumpto illustrat[1]. »Si ergo ille caput, inquit in Ps. 140. n. 3., nos corpus, unus homo loquitur, sive caput loquatur, sive membra, unus Christus loquitur. Et capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite. In angusto tibi pedem aliquis calcat. Calcas me, dicit caput. Vulneravit tibi aliquis manum. Vulnerasti me, dicit caput. Caput tuum nullus tetigit, sed loquitur unitas compaginis corporis tui. Omnium membrorum tuorum personam illa, quae in capite est, lingua suscepit, ipsa pro omnibus verbo fungitur. Sic ergo audimus Christum loquentem, sed unusquisque agnoscat ibi vocem suam tamquam haerens in Christi

---

1) Cf. Serm. 137. n. 2; s. 361. n. 14., ubi de hoc exemplo ait: Jam *saepe* diximus, sed quia similitudo apta est et rem bene insinuat, repetenda est.« Tract. 10. in ep. Joan. n. 8.; serm. 11. in appendice.

corpore.“ Eodem sensu scribit s. Paulinus nolanus ep. 38. n. 3.: „Ab initio seculorum Christus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium et finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis semper et patiens, et triumphans in sanctis suis Dominus; in Abel occisus a fratre; in Noe irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moyse expositus et fugatus, in prophetis lapidatus et sectus, in apostolis terra marique jactatus et multis ac variis beatorum martyrum crucibus frequenter occisus. Idem igitur etiam nunc infirmitates nostras et aegritudinem portans . . . Ipse et in te patitur opprobria et ipsum in te odit hic mundus.“

13. Imo 4. secundum Augustinum Christus adaequate concipi nequit citra corpus suum, quod est Ecclesia. „Cum ergo, infert saepe s. doctor[1]), sit ille caput Ecclesiae et sit corpus

---

1) Serm. 137. n. 1. Cf. infra de unitate Eccl. n. 7.; in Ps. 90. serm. 2. n. 1.; ennar. 2. in Ps. 18. n. 10.: „Et modo unus homo in omnibus gentibus linguis omnibus loquitur, unus homo caput et corpus, unus homo Christus et Ecclesia vir perfectus; ille sponsus, illa sponsa. *Sederunt*, inquit, *duo in carne una.*“ His iisdem verbis (Matth 19, 5) citatis ita prosequitur in ennar. 2. in Ps. 30. n. 4.: „Fit ergo tamquam ex duobus una quaedam persona, ex capite et corpore, ex sponso et sponsa . . , Si

ejus Ecclesia, totus Christus et caput et corpus est.« „Ipsi christiani, inquit iterum in Ps. 127. n. 3., cum capite suo, quod ascendit in coelum, unus est Christus: non ille unus et nos multi, sed et nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus caput et corpus.« Sed pulcherrime id docet in Ps. 61. n. 4.: „Unus enim homo cum capite et corpore suo J. Christus,

---

duo in carne una, cur non duo in voce una? Loquatur ergo Christus, quia in Christo loquitur Ecclesia, et in Ecclesia loquitur Christus; et corpus in capite et caput in corpore. Audi apostolum hoc ipsum evidentius exprimentem: *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus* (1. Cor. 12, 12). Loquens de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait, sic et membra Christi, sed totum hoc quod dixit, Christum appellavit.« Quibus similia habet Enarr. in Ps. 58. S. n 2.; in Ps. 37. n. 6.; in Ps. 50. n. 1.; serm. 129. n. 4.; 133. n. 8.; serm. 137. n. 1.; de civit. Dei l. 17. c. 18. n. 1.; tract 1. in ep. Joan. n. 2.; de peccatorum meritis et remiss. l. 1. c. 31. n. 60.; l. 83. qq. q. 69. n. 10., ubi citatis verbis Pauli 1. Cor. 12, 12. prosequitur: „Non dixit (Paulus) *ita et Christi*, sed *ita et Christus*, ostendens Christum recte appellari etiam universum h. e. caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. Et multis Scripturarum locis invenimus Christum etiam hoc modo appellari, ut cum omnibus suis membris intelligatur.« Cf. etiam Heterium et Beatum in l. 2. adv. Elipandum n. 40. (Migne patrol. lat. 96, 1001).

salvator corporis et membra corporis duo in carne una et in passione una, et cum transierit iniquitas in requie una. Passiones itaque Christi non in solo Christo, imo passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput et corpus, passiones Christi nonnisi in Christo: si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo, imo in solo capite, unde dicit quoddam membrum ejus Paulus apostolus: *Ut suppleam quae desunt pressurarum Christi in carne mea* (Coloss. 1, 24)? Si ergo in membris Christi es quicunque homo, quisquis haec audis, quisquís haec nunc non audis (sed tamen audis, si in membris Christi es), quidquid pateris ab eis, qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat; mensuram imples, non superfundis: tantum pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universae passioni Christi, qui passus est in capite nostro et patitur in membris suis i. e. in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus. Pariatoria plenaria passionum omnium non erit, nisi cum seculum finitum fuerit. “

14. Vocatur autem Ecclesia a theologis praesertim scholae corpus Christi *mysticum*. Dicitur *mysticum*, ut distinguatur a corpore Christi physico, quod carne et ossibus constabat, sicut aliorum hominum corpora. Dicitur mysticum, ut negetur esse corpus naturale, significetur vero eam esse societatem, quae ordinem naturalem longe praetergreditur; cujus naturam, perfectionem et indolem animalis homo non percipit, non assequitur, sed tantum spiritualis, qui ex revelatione s. Spiritus sensum Christi habet (1. Cor. 2, 14. ss.); ut significetur proinde Ecclesiam mysterium esse bonitatis, sapientiae, potentiae Dei non secus ac alia opera ordinis supernaturalis[1]). Dicitur mysticum, ut insinuetur, corpus hoc gigni mysterio, mysteriis ali, foveri, regi, mysteriis redundare. Dicitur mysticum, ut innuatur, non illud dissimili habitu, proinde admodum mysterioso, referri ad Christum caput, quo humanitas assumpta ad Verbum assumens.

15. Ex hac vero Ecclesiae praerogativa, qua est corpus Christi duplex praesertim inferunt patres corollarium[2]). Inferunt scil. primo Eccle-

---

1) Cf. Scheeben Mysterien des Christenthums §. 56. ss., 77. ss., qui pro more egregie de his disserit.

2) Plura alia inferri possent corollaria, nam ab

siam utpote corpus Christi Spiritu Dei foveri, regi ac veluti animari, quod ita praeclare expo-

---

intima cum Christo capite conjunctione fluunt omnes Ecclesiae praerogativae, ut jam supra innuimus. Sed etiam in singulos justos specialis redundat dignitas et major amabilitas ex eo, quod membra sint Christi, et hinc licet per hanc conjunctionem non major reddatur bonitas physica operum meritoriorum, augetur tamen dignitas moralis et aestimatio apud Deum, ut bene ostendit Suarez de gratia l. 12. c. 19. Cf. etiam Scheeben l. 10. §. 57., ubi inter alia scribit: „Tamquam caput elevat Deus incarnatus genus universum ad immensam, incomprehensibilem sublimitatem dignitatis, vitae et operationis (a fortiori ergo Ecclesiam ei jam actu intime unitam), et hac ipsa dignitatis sublimitate, ad quam provehit humanum genus, par illud reddit ad omnes supplendos defectus explendasque lacunas, quae vel ex naturali vilitate vel ex proprio lapsu subortae sunt etc.“ Quod fusius dein illustrat et probat. Ex hac conjunctione explicatur etiam illud consortium divinae naturae, quo teste Petro (2. ep. 1, 4.) donati sumus, quodque egregie Lessius et Scheeben l. c. exponunt. Plenius explicatur munus mediatoris, quo Christus fungitur universum mundum Patri subjiciens et ad Patrem revocans, ut Deus sit omnia in omnibus (1. Cor. 15, 24. ss.). Nam omnia visibilia revocantur ad hominem, qui hujus mundi aspectabilis est finis, centrum, corona et apex: humanum vero genus, quod in se recepit redemptionis fructus nec rebelle exstitit Deo mundum sibi in Christo reconcilianti, recapitulatur et revocatur tamquam corpus mysticum ad Christum caput et per Christum Deo

nit Lessius[1]): „Statim ut quis inseritur et adhaerescit Christo, a spiritu Christi, qui est ejus divinitas, veluti animatur et vivificatur . . . Eodem enim spiritu vivunt, quo Deus ipse et quo Christus Filius Dei naturalis vivit, etsi hic spiritus diverso modo istis communicetur: personis enim divinis communicatur per identitatem, idque vel immediata necessitate ut Patri, vel per aeternam generationem aut spirationem, ut Filio et Spiritui s.; humanitati vero Christi per hypostaticam unionem; nobis per quandam extensionem, qua mediante dono gratiae justificantis incipit esse noster spiritus, nostra vita nos inhabitans, ornans, movens, regens et omnes vitales functiones Deo placentes in nobis excitans et edens. Itaque hoc spiritu divinae personae vivunt naturaliter, cum sit illarum esse et vita naturalis: humanitas Christi quasi naturaliter propter substantialem unionem, nos vero omnino

---

conjungitur, et vicissim ex Deo per Christum omni benedictione coelesti donamur, quae redundabit vel in naturam visibilem, nam et haec vanitati subjecta per Adami lapsum revelationem filiorum Dei exspectat, et ipsa liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8, 19. ss.). Hinc jam assequemur sensum illius effati apostolici: *Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei* (1. Cor. 3, 22).

supernaturaliter. Est enim vita nostra, ut ita dixerim, supervitalis et essentia superessentialis. Cogita spiritum Christi esse veluti immensam quandam animam, quae angustiis istius humanitatis non coercetur, sed in omnem partem et in infinitum quasi exundat.«

16. Sed forte adhuc splendidius hoc nos docet s. Augustinus ita s. 267. n. 4. disserens[1]): „Nemo dicat: Accepi Spiritum s., quare non loquor linguis omnium gentium? Si vultis habere Spiritum s., intendite fratres mei: spiri-

1) Similia habet serm. 268. n. 2.; in Ps. 130. n. 6. In eundem vero sensum scribit auctor expositionis in Ps. poenitentialem V. n. 1. (secundum aliquos Gregorius M. vel Gregorius VII.): „Christus itaque cum tota sua Ecclesia sive quae cum eo jam regnat in coelis una persona est. Et sicut est una anima, quae diversa corporis membra vivificat, ita totum simul Ecclesiam unus Spiritus s. vegetat et illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiae, de Spiritu s. conceptus est, sic s. Ecclesia, quae corpus ejus est, eodem Spiritu s. repletur, ut vivat; ejus virtute firmatur, ut in unius fidei et caritatis compage subsistat . . . Istud est corpus, extra quod non vivificat spiritus. Unde dicit b. Augustinus: Si vis vivere de spiritu Christi, esto in corpore Christi (tract. in Joan. 26). De hoc spiritu non vivit haereticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus; non enim sunt de corpore. Ecclesia autem spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhaeret.«

tus noster, quo vivit omnis homo, anima vocatur: spiritus noster, quo vivit singulus quisque homo, anima vocatur: et videtis, quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat; omnibus simul adest membris, ut vivant: vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris et oculus; sed tamen vivit: vivit auris, vivit lingua; officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei: in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud; singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem anima est corpori hominis, hoc est Spiritus s. corpori Christi, quod est Ecclesia; hoc agit Spiritus s. in tota Ecclesia; quod agit anima in omnibus membris unius corporis."

17. Hinc vero infert, quod alterum corollarium dicimus, extra Ecclesiam non esse salutem[1]). „Sed videte, quid caveatur, prosequitur

---

1) Cf. infra de unitate Eccl. n. 49.; tract. 27. in Ev. Joan. n. 6.; tr. 1. in ep. Joan. n. 12.; ep. 185. n. 42.: „Nemo potest esse justus, quamdiu

l. c., videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat; praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit; praecisus haereticus factus est, membrum amputatum non sequitur spiritus. Si ergo vultis vivere de Spiritu s., tenete caritatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad aeternitatem.« Hoc maxime urget adversus donatistas. Ita enim scribit tract. 10. in ep. s. Joannis n. 8.: »Dicit Christus et Psalmus i. e. Spiritus Dei, latum mandatum tuum valde (Ps. 118, 96), et nescio quis ponit in Africa fines caritatis? Extende caritatem per totum orbem, si vis Christum amare; quia membra Christi per orbem jacent. Si amas partem, divisus es: si divisus es, in corpore non es: si in corpore non es, sub capite non es. Quid prodest, quia credis et blasphemas? Adoras illum in capite, blasphemas in corpore. Amat ille

---

fuerit ab unitate hujus corporis separatus. Quemadmodum enim membrum, si praecidatur ab hominis vivi corpore, non potest tenere spiritum vitae, sic homo, qui praeciditur de Christi justi corpore, nullo modo potest spiritum tenere justitiae, etiamsi figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore.«

corpus suum. Si tu te praecidisti a corpore ipsius, caput non se praecidit a corpore suo. Sine causa me honoras, clamat tibi caput desuper, sine causa me honoras. Tamquam si velit tibi aliquis osculari caput, et calcare tibi pedes; forte caligis clavatis contereret pedes tuos, volens tibi tenere caput et osculari; nonne inter verba honorantis clamares et diceres: Quid facis, homo? calcas me. Non diceres: Calcas caput meum, quia caput honorabat; sed plus clamaret caput pro membris calcatis, quam pro se, quia honorabatur. Nonne clamat ipsum caput: Nolo honorem tuum, calcare me noli? Dic illud capiti: Te osculari volui, amplecti volui. Sed non vides, o stulte, quia quod vis amplecti, per quandam compagem unitatis pervenit ad id, quod calcas? Susum me honoras, susum me calcas. Plus dolet, quod calcas, quam gaudet quod honoras, quia quod honoras dolet pro eis, quos calcas etc.«

18. His breviter delibatis jam manifestum est, quanta secundum patres dignitas et praestantia sit Ecclesiae: tanta ut toto coelo praecellat quamlibet societatem civilem vel mere humanam, ut verissime dici possit et debeat templum sanctissimum Dei vivi, in quo adimpletur illa Dei promissio: *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus* (Lev. 26,

12. col. 2. Cor. 6, 16). Hinc etiam nil mirum, si patres in vindicandis Ecclesiae juribus tam fuerint solliciti, nec detrectarent pro illorum custodia et defensione sanguinem profundere: nec aliunde oritur pruritus ille Ecclesiam subjiciendi societati civili, quam quod animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei (1. Cor. 2, 14.): hinc sicut judaei Christum, qui homo videbatur (quod quidem erat, sed non solum), odio implacabili persequebantur ac demum cruci affixerunt, quia Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo (Joan. 5, 18), ita et Ecclesiae hostes ferre non possunt, quod ea, cum speciem prae se ferat societatis humanae, tantam sibi vindicet dignitatem, tanta loquatur libertate et auctoritate, tantam exerceat in animas fidelium potestatem. Non enim minori ac judaei coecitate laborant, coelestem Ecclesiae originem, dignitatem, destinationem plane ignorant, atque ita etiam de corpore Christi impletur, quod de capite est praedictum: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur* (Luc. 2, 34).

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE MORIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE.

LIBER UNUS[1]).

Caput I. 1. *Quomodo detecturus sit fucos manichaeorum. Duo quibus fallunt mani-*

---

1) Scripsit s. Augustinus paulo post suam conversionem (a. 388.) Romae *de moribus Ecclesiae catholicae et de moribus manichaeorum* libros duos, in quibus bonorum morum praecepta atque exempla, quae habentur in Ecclesia catholica, manichaeorum doctrinae morum ac conversationi ex adverso ponit, indeque Ecclesiae catholicae praestantiam deducit. Praetermittemus l. 2., qui de moribus agit manichaeorum, cum minoris modo sit utilitatis. In 1. vero l. ostendit, summum bonum nostrum esse Deum: Deo autem conjungi debere homines amore: ad ipsum igitur summo amore contendendum esse, prout in catholica Ecclesia Testamenti V. aeque ac N. auctoritate docetur: porro ex hoc Dei amore quatuor

chaei. — In aliis libris satis opinor egisse nos quemadmodum manichaeorum invectionibus, quibus in Legem, quod vetus Testamentum vocatur, imperite atque impie feruntur, seseque inter imperitorum plausus, inani jactatione ventilant, possimus occurrere: quod breviter etiam hic commemorari a me potest. Quis enim mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fierique posse, imo id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quae cum a doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur, et eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur? Hoc fere in sanctis ve-

virtutes cardinales, quibus omnis morum honestas continetur, tamquam rivulos ex fonte manare ostendit, eique nexu indivulso cohaerere dilectionem sui et proximi, quibus tandem doctrina moralis absolvitur (n. 1—62). Tum post insignia Ecclesiae catholicae praeconia (n. 62—64.) monachorum et sanctimonialium, clericorum et laicorum praeclara virtutum exempla proponit (n. 65—74.); malorum vero christianorum mores non ipsi Ecclesiae imputandos (n. 75—77.), nec ejus disciplinam ob conjugium bonorumque possessionem baptizatis permissam imperfectam esse censendam (n. 78—80.) docet. Cf. Fessler, institutiones patrol. t. 2. §. 276. n. 2.

teris Testamenti libris evenit, si modo ille qui eis offenditur, doctorem potius eorum pium, quam impium laceratorem requirat, priusque studio quaerentis, quam temeritate reprehendentis imbuatur[1]. Nec, si ea discere cupiens, in aliquos forte inciderit vel episcopos vel presbyteros, vel cujuscemodi Ecclesiae catholicae antistites et ministros, qui aut passim caveant nudare mysteria, aut contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint, desperet ibi scientiam esse veritatis, ubi neque omnes a quibus quaeritur docere possunt, neque omnes qui quaerunt discere digni sunt. Et diligentia igitur et pietas adhibenda est: altero fiet, ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur.

2. Sed quoniam duae maxime sunt illecebrae manichaeornm, quibus decipiuntur incauti, ut eos velint habere doctores; una, cum Scripturas reprehendunt, vel quas male intelligunt vel quas male intelligi volunt, altera, cum vitae castae et memorabilis continentiae imaginem praeferunt: hic liber congruentem catholicae disciplinae senten-

---

1) Hoc pluribus evolvit et probat l. *de utilitate credendi* c. 6. opusc. 6, 28.

tiam nostram de vita et moribus continebit, in quo fortasse intelligetur et quam sit facile simulare, et quam difficile habere virtutem. Eum sane modum tenebo, si potero, ut neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quam illi in ea, quae ignorant: sanari enim eos potius, si fieri potest, quam oppugnari volo. Et ea de Scripturis assumam testimonia, quibus eos necesse sit credere, de novo scilicet Testamento, de quo tamen nihil proferam eorum, quae solent immissa esse dicere, cum magnis angustiis coarctantur; sed ea dicam, quae et approbare et laudare coguntur. Nec omnino ullam relinquam testem sententiam productam de apostolica disciplina, cui non de veteri Testamento similem comparem: ut si evigilare tandem deposita pertinacia somniorum suorum, et in christianae fidei lucem aspirare voluerint, animadvertant et quam non sit christiana vita quam ostentant, et quam sit Christi Scriptura, quam lacerant.

Caput II. 3. *Rationibus prius agit, obsequens vitiosae manichaeorum consuetudini.* — Unde igitur exordiar? ab auctoritate, an a ratione? Naturae quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus,

rationem praecedat auctoritas[1]). Nam infirma ratio videri potest, quae cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem et sentiunt, et loquuntur, et gerunt, nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei Jesu

---

1) Cf. aliorum patrum effata opusc. 6, 59. annot., qui pariter inculcant, vel in humanis disciplinis fidem esse viam ad acquirendam scientiam, quamvis negari neque possit neque debeat, huic fidei praeire debere aliquam saltem cognitionem rationalem, qua scil. cognoscimus, nos prudenter posse vel etiam debere alteri credere. Advertit autem Augustinus rationem non praecedere auctoritati seu fidei (scil. ejusdem objecti quod jam ratione cognoscimus), cum ea esset infirma ratio seu demonstratio, quae fulcienda esset auctoritate (scil. humana).

Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est.

Caput III. 4. *Beatus qui eo fruitur, quod hominis optimum est. Hominis optimum quid. Duae conditionis summi boni: 1⁰ ut nihil eo melius sit; 2⁰ ut tale sit quod non amittat invitus.* — Ratione igitur quaeramus quemadmodum sit homini vivendum. Beate certe omnes vivere volumus; neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiae, antequam plene sit emissa, consentiat. Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecunque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; et qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; et qui non appetit quod adipiscendum esset, aegrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria: nec miseria et beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt: nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cum id, quod est hominis optimum, et amatur et habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi praesto habere quod diligis? Neque quis-

quam beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Praesto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beate vivere cogitamus.

5. Sequitur ut quaeramus, quid sit hominis optimum, quod profecto deterius esse quam ipse homo non potest. Quisquis enim quod se ipso est deterius, sequitur, fit et ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Non est igitur homine deterius hominis optimum. Fortasse tale aliquid erit, quale ipse homo est? Ita sit sane, si nihil est homine melius, quo perfrui possit. Si autem invenimus aliquid quod et homine sit excellentius, et praesto esse amanti sese homini possit, quis dubitaverit homini ad id nitendum esse, ut beatus sit, quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse praestantius? Nam si id est beatum esse, ad tale bonum pervenisse, quo amplius non potest, id est autem quod dicimus optimum; quo tandem pacto potest in ea definitione includi, qui ad summum bonum suum nondum pervenerit? aut quomodo summum est, si est aliquid melius quo pervenire possimus? Hoc igitur si est, tale esse debet, quod non amittat invitus.

Quippe nemo potest confidere[1]) de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest?

Caput IV. 6. *Homo quid.* — Quaeramus igitur, quid sit homine melius. Quod profecto invenire difficile est, nisi prius considerato atque discusso, quid sit ipse homo. Nec nunc definitionem hominis a me postulandam puto. Illud est magis, quod mihi hoc loco quaerendum videtur, cum inter omnes pene constet, aut certe id quod satis est, inter me atque illos cum quibus nunc agitur hoc conveniat, ex anima et corpore nos esse compositos, quid est ipse homo, utrumque horum quae nominavi, an corpus tantummodo, an tantummodo anima? Quamquam enim duo sint, anima et corpus, et neutrum vocaretur homo, si non esset alterum (nam neque corpus homo esset, si anima non esset, nec rursus anima homo, si ea corpus non animaretur), fieri tamen potest, ut unum horum et habeatur homo et vocetur[2]). Quid

1) *Confidere* i. e. secure quiescere.

2) *Habeatur homo et vocetur.* Quamvis ut intelligatur homo, concipi debeat anima et corpus, sicut ad

ergo hominem dicimus? animam et corpus tamquam bigas vel centaurum; an corpus tantum, quod sit in usu animae se regentis, tamquam lucernam, non ignem simul et testam, sed testam solam, tamen propter ignem appellamus: an nihil aliud hominem quam animam dicimus, sed propter corpus quod regit, veluti equitem non simul equum et hominem, sed hominem solum, ex eo tamen quod regendo equo sit accommodatus, vocamus? Difficile est istam controversiam dijudicare; aut si ratione facile, oratione longum est, quem laborem ac moram suscipere ac subire non opus est. Sive enim utrumque, sive anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corpori simul et animae, aut soli animae optimum est, id est optimum hominis.

Caput V. 7. *Hominis optimum non quod solius corporis, sed quod animae optimum*

---

concipiendum equitem concipi debet homo et eques, fieri tamen potest (inquit Augustinus quaerendo et dubitando, dubio scil. *methodico*), ut horum tantum unum constituat hominem, sed quatenus relationem includit ad alterum, sicut eques est homo (non etiam equus) sed quatenus relationem ad equum dicit, cui regendo sit accommodatus.

est. — Corporis autem si quaerimus quid optimum sit, id certe ratio cogit fateri, per quod fit, ut sese corpus quam optime habeat. Nihil est autem omnium, quae vegetant corpus, anima melius atque praestantius. Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indoloria[1]), non vires, non pulchritudo, non velocitas, et si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam et ista quae commemorata sunt, praesentia sui exhibet corpori, et quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem[2]) non videtur mihi anima esse summum hominis bonum, sive animam simul et corpus, sive animam solam hominem dicimus. Ut enim corporis summum bonum id invenit ratio, quod est corpore melius, et quo ei vigor et vita praebetur: ita sive corpus et anima, sive anima ipsa per se homo sit, inveniendum est, si quid animam praecedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in suo genere quam potest optima. Quod si reperire po-

---

1) *Indoloria*, carentia dolorum.

2) *Quamobrem* sicut corporis bonum est aliquid corpore melius, ita et hominis summum bonum sive ipse sit sola anima sive anima et corpus, non erit anima sed aliquid ipso hinc et anima praestantius.

tuerimus, id erit profecto quod ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonum jure meritoque nominandum est.

8. Aut si corpus est homo, quin hominis optimum anima ipsa sit, recusare non possum. Sed certe cum de moribus agitur, cum quaerimus quinam vitae modus tenendus sit, ut beatitudinem possimus adipisci, non corpori praecepta dantur, non corporis investiganda est disciplina. Postremo bonos mores ea nostra pars actura est, quae inquirit et discit, et haec animae sunt propria: non igitur de corpore, cum de virtute obtinenda satagimus, quaestio est. Quod si est consequens, sicuti est, ut ipsum corpus cum ab anima regitur, quae virtutis compos est, multo et melius regatur et honestius, eoque optime sese habeat, quo est optima illa, quae sibi justa lege dominatur, id erit hominis optimum, quod animam optimam facit, etiam si hominem corpus vocemus. An vero si mihi auriga obtemperans, equos quibus praeest alit ac regit commodissime, atque ipse quo mihi est obedientior, mea liberalitate perfruitur, negare quisquam potest non solum quod auriga, verumetiam quod equi sese optime habent, mihi deberi? Itaque sive tantum corpus, sive tantum anima, sive utrum-

que homo sit, non mihi maxime quäerendum videtur, nisi quid animam faciat optimam: nam eo percepto, non potest homo non aut optime, aut certe multo melius sese habere, quam si hoc unum defuisset.

Caput VI. 9. *Virtus animam optimam efficit; virtutem anima comparat sequendo Deum; Dei autem consecutio vita beata.* — Nemo autem dubitâverit, quin virtus animam faciat optimam. Sed rectissime quaeri potest, utrum ista virtus etiam per sese, an nisi in anima esse non possit. Oboritur iterum altissima et longissimi sermonis indigens quaestio: sed hoc bene utar fortasse compendio: spero Deum affuturum, ut, quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modo dilucide, sed etiam breviter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, sive etiam per sese esse possit virtus sine anima, sive nisi animae inesse non possit, procul dubio aliquid anima sequitur, ut virtutem assequatur: id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si se ipsam sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur: stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, ut id quod quisque sequitur assequatur. Aut igitur optabit non asse-

qui quod sequitur anima, quo nihil absurdius et perversius dici potest: aut cum se sequitur stulta, eandem stultitiam quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur hanc assequi cupiens, quomodo sequitur id quod non est[1]), aut quomodo assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est praeter animam; aut si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum et quasi sapientis animae qualitatem, quae nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire.

10. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiae compos fit, aut

---

1) *Quomodo sequitur, id quod non est* scil. extra animam: quod si sequitur quod est, scil. virtutem animae insitam, *quomodo assequi cupit quod habet?* Hinc cum utrumque scil. sequi quod non est, vel cupere quod jam habetur, sit absurdum, statuendum est aut virtutem esse aliquid praeter et extra animam existens, aut si hoc non placet et virtus inter animae qualitates habitusque refertur, *oportet, ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci, quia neque nihil sequendo, neque stultitiam* i. e. seipsam, ut supra explicaverat, *potest ad sapientiam pervenire.*

homo sapiens est, aut Deus. Sed suprà dictum est, tale quiddam esse debere, quod inviti amittere nequeamus. Quis vero cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putaverimus, auferri nobis non modo recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? Deus igitur restat, quem si sequimur, bene: si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus. Quem si qui esse negant, quid ego cogitem, quo illis sermone suadendum sit, cum quibus utrum omnino sermocinandum sit, nescio? Quod tamen si videbitur, longe aliud principium, alia ratio, alius ingressus ineundus est, quam in praesentiarum suscepimus. Nunc itaque cum illis mihi res est, qui Deum esse non negant: neque id tantum, sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non sàltem animis nostris divina providentia consuli existimet.

Caput VII. 11. *Deus auctoritate Scripturarum vestigandus. Oeconomiae divinae erga nostram salutem ratio et praecipua mysteria. Summa fidei.* — Sed quo pacto sequimur quem non videmus; aut quomodo videmus, qui non solum homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quamquam

enim non oculis, sed mente cernatur, quae tandem mens idonea reperiri potest, quae cum stultitiae nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conetur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum praecepta, quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci[1]). Versabatur namque non veritate certior, sed consuetudine securior, in rebus humanis. At ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, aestuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde conci-

---

1) *Hactenus potuit ratio perduci* scil. ratio hominem veritatis cupidum huc usque perducere potest, at se ad cognoscenda divina auctoritati, quae undique credibilitatis se commendat motivis, instituendum committat; nam ratio humana externis, visibilibus, humanis assueta, cum nititur ad divina contemplanda, luce veritatis reverberatur, hinc, ut perbelle significat Augustinus, per opacitatem umbramque auctoritatis gradatim attolli roborarique debet ad divinorum contemplationem: hinc praeclara illa patrum doctrina, quam Augustinus praesertim inculcat (cf. *de utilitate credendi* c. 12. s.) fide homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem atque praeparari ad visionem Dei.

piat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis Sapientiae, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, et mirabilibus rerum vocibusque librorum veluti signis temperatioribus veritatis umbrisque blandiatur.

12. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Quid beneficentius, quid liberalius divina providentia dici potest, quae a legibus suis hominem lapsum, et propter cupiditatem rerum mortalium jure ac merito mortalem sobolem propagantem, non omnino deseruit? Habet enim potestas illa justissima, miris et incomprehensibilibus modis per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium quas creavit, et severitatem vindicandi et clementiam liberandi. Quod quidem quam sit pulchrum, quam magnum, quam Deo dignum, quam postremo id quod quaeritur verum[1]), nequa-

1) *Id quod quaeritur* scil. sequendo Deum nos reddi beatos. *Nisi ab humanis et proximis incipientes*, nisi incipiamus ab iis, quae modo in praesenti statu homini maxime sunt consentanea, accommodata et hinc proxima: hoc vero est, cum nondum sumus pares ad contemplanda divina, sequi viam auctoritatis, religionis.

quâm intelligere poterimus, nisi ab humanis et proximis incipientes, verae religionis fide praeceptisque servatis non deseruerimus viam, quam nobis Deus et patriarcharum segregatione, et legis vinculo, et prophetarum praesagio, et suscepti hominis sācramento, et apostolorum testimonio, et martyrum sanguine, et gentium occupatione[1]) munivit. Quare deinceps nemo ex me quaerat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostrasque ratiunculas divinis submittamus affatibus.

Caput VIII. 13. *Deus summum bonum, quo summo amore tendere jubemur.* — Videamus quemadmodum ipse Dominus in Evangelio nobis praeceperit esse vivendum: quomodo etiam Paulus apostolus: has enim Scripturas illi condemnare non audent. Audiamus ergo quem finem bonorum nobis, Christe, praescribas; nec dubium est, quin is erit finis, quo nos summo amore tendere jubes: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum*

---

1) *Gentium occupatione*, conversione, qua illas sibi subjecit ac ita occupavit, in possessionem accepit. Porro hisce credibilitatis motivis quae modo recensuit, munitur revelatio seu religio christiana seu Ecclesia catholica, quare missis ratiociniis mentis nostrae imbecillis hujus doctrinam audiamus.

tuum (Matth. 22, 37). Dic mihi etiam, quaeso te, qui sit diligendi modus: vereor enim ne plus minusve quam oportet, inflammer desiderio et amore Domini mei. *Ex toto*, inquit, *corde tuo*. Non est satis. *Ex tota anima tua.* Ne id quidem satis est. *Ex tota mente tua.* Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. Quid ad haec Paulus? *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.* Dicat etiam ipse dilectionis modum. *Quis ergo*, inquit, *nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius* (Rom. 8, 28)? Audivimus quid diligere, et quantum diligere debeamus: eó est omnino tendendum: ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quaerendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est.

Caput IX. 14. *Concentus veteris et novi Testamenti de praeceptis caritatis.* — Age nunc investigemus vel potius attendamus, praesto enim est et facillime videtur, utrum his sententiis ex Evangelio atque Apostolo prolatis, etiam Testamenti veteris auctoritas

congruat. Quid dicam de superiore sententia, cum manifestum sit omnibus, eam de lege, quae per Moysen data est, esse depromptam; ibi enim scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (Deut. 6,5). Quid autem illi, quod ab Apostolis dictum est, comparare de veteri Testamento possim, ne diutius quaererem ipse subjecit. Cum enim dixisset nulla tribulatione, nulla angustia, nulla persecutione, nulla necessitate inopiae corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos a caritate Christi separari, statim subjunxit: *Sicut scriptum est: Quia propter te afficimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis.* Haec illi solent a corruptoribus Scripturarum immissa esse dicere, usque adeo nihil habent quod contradicant, ut haec miseri respondere cogantur. Sed quis non intelligat convictorum hominum aliam non esse potuisse ultimam vocem?

15. A quibus tamen quaero, utrum istam sententiam in veteri Testamento esse negent, annon congruere sententiae apostolicae affirment? At illud primum libris docebo: in hoc autem altero tergiversantes homines et per abrupta fugientes, aut in pacem revocabo, si voluerint respicere aliquantum, et

considerare quid dictum sit; aut eos intelligentia ceterorum, qui sine cupiditate judicant, insectabor. Quid enim potest amicius quam istae sibi consonare sententiae? Nam tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, hominem in hac vita constitutum graviter afficiunt. Haec itaque omnia verba illo uno concluduntur testimonio veteris legis, quo dictum est: *Propter te afficimur*. Gladius restabat, qui non aerumnosam vitam affert, sed quam invenerit adimit. Huic ergo respondet: *Aestimati sumus ut oves occisionis*. Caritas vero ipsa non potuit significari expressius, quam quo dictum est: *Propter te*. Fac ergo non in Paulo apostolo compertum istud testimonium[1]),

---

1) *Istud testimonium*. Supponamus s. Paulum hoc testimonium Ps. 43, 22. non allegasse, sed a me esse prolatum, nonne, ut possit negari consensus inter V. T. et doctrinam apostolicam Rom. 8, 36., demonstrandum tibi foret vel hoc effatum non legi in libris V. T., vel illud non convenire cum Apostoli verbis? Quorum si nihil dicere audes, cur ergo semper Scripturae corruptionem praetendis, praesertim in hoc loco (cf. supra n. 14)? Ceterum cum historia teste verissimum sit, quod Paulus scriptum testatur, Christi discipulos gravibus aerumnis affectos fuisse, quid tot turbas moves circa librum, in quo hoc scriptum sit, cum illud credendum esse ve-

sed a me esse prolatum. Numquidnam tibi demonstrandum est, haeretice, nisi aut scriptum in vetere lege non esse, aut Apostolo non convenire? Quorum si nihil dicere audes (urgeris enim cum et codex legitur, quo planum sit scriptum esse, et homines intelligunt ad id, quod Apostolus dixit, nihil posse aptius convenire), cur ergo valere aliquid putas, quod Scripturas corruptas esse insimulare audes? Postremo quid responsu-

---

ritate coactus fateris? — In l. 1. Retract. c. 6. n. 2. haec ad h. l. animadvertit s. doctor: „Ubi posui testimonium, in quo legitur: *Propter te afficimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis* (Ps. 43, 22; Rom. 8, 36), mendositas nostri codicis me fefellit minus memorem Scripturarum, in quibus nondum assuetus eram. Nam ejusdem interpretationis alii codices non habent *propter te afficimur*, sed *propter te morte afficimur*, quod uno verbo alii dixerunt *mortificamur*. Hoc esse verius graeci libri indicant, ex qua lingua in latinam secundum septuaginta interpretes veterum divinarum Scripturarum est facta translatio: et tamen secundum haec verba, id est *propter te afficimur*, multa disputans dixi, quae in ipsis rebus non tamquam falsa improbo. Verumtamen convenientiam Scripturarum veterum et novarum, quam demonstrare cupiebam, ex his duntaxat verbis non utique demonstravi, unde autem mihi error obrepserit, dixi: ex aliis vero testimoniis eandem convenientiam sufficienter ostendi (n. 26—29).

rus es ei, qui tibi dicat: Ego sic intelligo, ego sic accipio, sic credo, nec ob aliud lego illos libros, nisi quod ibi omnia christianae fidei concinere video. Illud potius dic, si audes et adversus me dicere cogitas, non esse credendum quod apostoli et martyres propter Christum affecti gravibus aerumnis dicuntur, quod a persecutoribus ut oves occisionis aestimati sunt. Quod si non potes dicere, quid calumniaris in quo libro inveniam, quod me oportere credere confiteris?

Caput X. 16. *De Deo quid doceat Ecclesia. Duo dii manichaeorum.* — An illud dicis, concedere te quidem, Deum esse diligendum, sed non illum Deum, quem colunt ii, qui Testamenti veteris auctoritatem recipiunt? Non ergo illum Deum colendum esse dicitis, qui fecit coelum et terram. Iste namque per omnes partes illorum voluminum praedicatur: vos autem fatemini universum istum mundum, qui nomine coeli et terrae significatur, habere auctorem et fabricatorem Deum, et Deum bonum. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim deos, unum bonum, alterum malum esse perhibetis. Quod si dicitis colere vos et colendum arbitrari Deum, a quo factus est mundus, non tamen

eum esse quem veteris Testamenti commendat auctoritas; impudenter facitis, qui alienum animum atque sententiam[1]), quam bene atque utiliter acceperimus, male interpretari conanimi: frustra omnino. Neque enim vestrae stultae atque impiae disputationes ullo modo cum piorum doctissimorumque hominum sermonibus, per quos in Ecclesia catholica Scripturae illae volentibus dignisque aperiuntur, comparari queunt. Longe prorsus aliter quam putatis lex et prophetae intelliguntur a nobis. Desinite errare, non colimus poenitentem Deum, non invidum, non indigum, non crudelem, non quaerentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia et scelera placeant, non possessionem suam terrae quadam particula terminantem. In has enim

---

1) *Alienum animum* i. e. mentem *et sententiam* nimirum scriptorum V. T. male interpretamini etc. Manichaei enim male interpretabantur, ut mox innuit Augustinus, illas locutiones, quae in V. T. libris passim de Deo occurrunt, eum poenituisse, iratum esse, atque hinc inferebant, Deum V. T. alium esse a Deo summe bono. Hinc praecipuas petebant exceptiones ad impugnandam doctrinam catholicam. Jam vero inculcat Augustinus etiam Ecclesiam reprobare ejusmodi sensum literae nimis inhaerentem, ex quo aliquid Deo indignum consequitur.

atque hujusmodi nugas graviter copioseque invehi soletis. Quare nos invectio vestra non tangit; sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore, quo vehementiore oratione pervellitis. Qua quisquis movetur et ad vos transit, non Ecclesiae nostrae damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat.

17. Quamobrem si quid humani corde geritis, si curae vobis vosmetipsi estis, quaerite potius diligenter et pie quomodo illa dicantur. Quaerite miseri: nam talem fidem, qua Deo inconveniens aliquid creditur, nos vehementius et uberius accusamus: nam et in illis, quae dicta sunt, cum sic intelliguntur ut litera sonat, et simplicitatem corrigimus, et pertinaciam deridemus. Et ålia multa, quae vos intelligere non potestis, vetat eos credere catholica disciplina, qui non annis, sed studio atque intellectu excedentes quandam mentis pueritiam in canos sapientiae promoventur. Nam et credere Deum loco aliquo quamvis infinito per quantitatis quaecunque spatia contineri, quam sit stultum docetur: et de loco in locum, vel ipsum, vel aliquam ejus partem moveri atque transire, arbitrari nefas habetur. Jamvero aliquid ejus substantiae atque naturae commutationem

vel conversionem quolibet modo pati posse si quis opinetur, mirae dementiae impietatisque damnabitur: ita fit ut apud nos inveniantur pueri quidam, qui humana forma Deum cogitent, atque ita se habere suspicentur; qua opinione nihil est abjectius: sed inveniantur item multi senes, qui ejus majestatem, non solum super humanum corpus, sed etiam super ipsam mentem manere inviolabilem atque incommutabilem, eadem ipsa mente conspiciant. Quas aetates, non tempore, sed virtute atque prudentia discernendas esse jam dictum est. Apud vos autem nemo quidem reperitur, qui Dei substantiam humani corporis figuratione describat: sed rursus nemo, qui ab humani erroris labe sejungat[1]). Itaqne illi, quos quasi vagientes Ecclesiae catholicae ubera sustentant, si ab haereticis non fuerint depraedati, pro suo quisque captu viribusque nutriuntur, perducunturque alius sic, alius autem sic, primum in virum perfectum, deinde ad maturitatem canitiemque sapientiae perve-

1) Manichaeis exprobrat Augustinus, quod Deum ab humani corporis configuratione liberum esse velint, non tamen ab humani erroris labe: quippe cum animam humanam, quae utique errori obnoxia est, partem ipsius Dei esse dogmatizent.

niunt, ut eis quantum volunt, vivere ac beatissime vivere liceat.

Caput XI. 18. *Deus unice diligendus; ideoque summum hominis bonum. Deo nil melius; Deum nemo amittit invitus: quae sunt duae conditiones summi boni, supradictae cap. 3.* — Secutio igitur Dei, beatitatis appetitus est: consecutio autem, ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur vero, non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico et intelligibili modo contingentes, ejusque veritate et sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet. Maximum ergo, quod ad beatam vitam ducit, primumque mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex anima et mente* (Deut. 6, 5). *Diligentibus enim Deum, omnia procedunt in bonum.* Quamobrem paulo post idem Paulus: *Certus sum*, inquit, *quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque virtus, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro* (Rom. 8, 38). Si igitur diligentibus Deum omnia proce-

dunt in bonum; et summnm bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus; idque significatur et exprimitur quod dictum est: *Ex tota anima, et ex toto corde, et ex tota mente:* quis quaeso dubitaverit, his omnibus constitutis et firmissime creditis, nihil nobis aliud esse optimum, ad quod adipiscendum postpositis ceteris festinare oporteat, quam Deum? Item si nulla res ab ejus caritate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest?

19. Sed singula breviter attendamus. Nemo nos inde separat, minando mortem. Idipsum enim quo diligimus Deum[1]), mori non potest, nisi dum non diligit Deum: cum mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quam ei quidquam in diligendo atque sequendo praeponere. Nemo inde separat pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat angelus: non enim est angelus:

---

1) *Quo diligimus*, nonnulli codd. habent *quod diligimus*, seo minus bene, ut patet ex contextu et ex hujus locutionis interpretatione c. seq. Loquitur autem de animo, *quo diligimus.*

cum inhaeremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus: nam si virtus hic illa nominata est, quae aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhaerens Deo. Sin virtus illa dicta est, quae ipsius animi nostri rectissima affectio est; si in alio est, favet ut conjungamur Deo; si in nobis est, ipsa conjungit. Non separant instantes molestiae: hoc enim leviores eas sentimus, quo ei unde nos separare moliuntur, arctius inhaeremus. Non separat promissio futurorum: nam et quidquid boni futurum est, certius promittit Deus; et nihil est ipso Deo melius, qui jam profecto bene sibi inhaerentibus praesens est. Non separat altitudo neque profundum: etenim si haec verba scientiae forte altitudinem vel profundum significant, non ero curiosus, ne sejungar a Deo, nec cujusquam doctrina me ab eo separat, ut quasi depellat errorem, a quo nemo prorsus nisi separatus erraret. Si vero altitudine et profundo superna et inferna hujus mundi significantur, quis mihi coelum polliceatur, ut a coeli fabricatore sejungar? Aut quis terreat infernus, ut Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremo quis me locus ab ejus caritate di-

vellet, qui non ubique totus esset, si ullo contineretur loco?

Caput XII. 20. *Caritate Deo connectimur, dum illi subjicimur.* — Non, inquit, separat alia creatura. O altissimorum mysteriorum virum. Non fuit contentus dicere: *Creatura*; sed, *alia*, inquit, *creatura*, admonens etiam idipsum, quo diligimus Deum, et quo inhaeremus Deo, id est, animum atque mentem creaturam esse. Alia ergo creatura corpus est: et si animus res quaedam est intelligibilis, id est, quae tantum intelligendo innotescit, alia creatura est omne sensibile, id est, quod per oculos, vel aures, vel olfactum, vel gustum, vel tactum, quasi quandam notitiam sui praebet: atque id deterius sit necesse est, quam quod intelligentia sola capitur. Ergo cum etiam Deus dignis animis notus non nisi per intelligentiam possit esse, cum tamen sit ipsa qua intelligitur mente praestantior, quippe qui creator ejus atque auctor est, verendum erat, ne animus humanus eo quod inter invisibilia et intelligibilia numeratur, ejusdem se naturae arbitraretur esse, cujus est ipse qui creavit; et sic ab eo superbia decideret, cui caritate jungendus est. Fit enim Deo similis quantum datum est, dum illustrandum

illi atque illuminandum se subjicit. Et si maxime ei propinquat subjectione ista qua similis fit, longe ab eo fiat necesse est audacia, qua vult esse similior. Ipsa est qua legibus Dei obtemperare detrectat, dum suae potestatis esse cupit ut Deus est.

21. Quando ergo magis longe discedit a Deo, non loco, sed affectione atque cupiditate ad inferiora quam est ipse, tanto magis stultitia miseriaque completur. Dilectione igitur redit in Deum, qua se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantius ac studiosius, tanto erit beatior atque sublimior, et illo solo dominante liberrimus. Quamobrem nosse debet se esse creaturam. Debet enim creatorem suum credere sicuti est, inviolabili et incommutabili semper manere natura veritatis atque sapientiae: in se autem cadere posse stultitiam atque fallaciam, vel propter errores quibus exui desiderat, confiteri. Sed rursus cavere debet, ne ab ipsius Dei caritate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturae, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur. Non igitur separat nos alia creatura, si quidem et nos ipsi creatura sumus, a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

Caput XIII. 22. *Per Christum et ejus Spiritum jungimur inseparabiliter Deo.* — Dicat nobis idem Paulus, quis iste sit Christus Jesus Dominus noster: *Vocatis*, inquit, *praedicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (1. Cor. 1, 23). Quid, ipse Christus nonne inquit: *Ego sum Veritas?* Si ergo quaerimus, quid sit bene vivere, id est, ad beatitudinem bene vivendo tendere, id erit profecto amare virtutem, amare sapientiam, amare veritatem, et amare ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; virtutem quae inviolabilis et invicta est, sapientiam cui stultitia non succedit, veritatem quae converti atque aliter quam semper est sese habere non novit. Per hanc ipse cernitur Pater; dictum est enim: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (Joan. 14, 6). Huic haeremus per sanctificationem. Sanctificati enim plena et integra caritate flagramus, qua sola efficitur, ut a Deo non avertamur, eique potius quam huic mundo conformemur. *Praedestinavit enim*, ut ait idem Apostolus, *conformes nos fieri imaginis Filii ejus* (Rom. 8, 29).

23. Fit ergo per caritatem, ut conformemur Deo, et ex Deo conformati atque configurati, et circumcisi ab hoc mundo, non confundamur cum iis, quae nobis debent

esse subjecta. Fit autem hoc per Spiritum sanctum. *Spes enim*, inquit, *non confundit; quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (ib. 5, 5). Nullo modo autem redintegrari possemus per Spiritum sanctum, nisi et ipse semper et integer et incommutabilis permaneret. Quod profecto non posset, nisi Dei naturae esset ac ipsius substantiae, cui soli incommutabilitas atque, ut ita dicam, invertibilitas semper est. *Creatura enim*, neque hoc ego, sed idem Paulus clamat, *vanitati subjecta est* (8, 20). Neque nos potest a vanitate separare veritatique connectere, quod subjectum est vanitati. Et hoc nobis Spiritus sanctus praestat: creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut Deus, aut creatura est.

Caput XIV. 24. *Trinitati summo bono dilectione haeremus.* — Deum ergo diligere debemus trinam quandam unitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quod nihil aliud dicam esse, nisi idipsum esse. Est enim vere summeque Deus: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia:* haec verba Pauli sunt. Quid deinde subjicit? *Ipsi gloria* (11, 36). Sincerissime omnino. Neque enim ait, ipsis: nam unus est Deus. Quid est autem, *Ipsi gloria*, nisi ipsi optima et summa et

late patens fama? Quanto enim melius atque diffusius diffamatur, tanto diligitur et amatur ardentius. Quod cum fit, nihil aliud ab humano genere quam certo et constanti gradu in optimam vitam et beatissimam pergitur. Non arbitror, cum de moribus et vita fit quaestio, amplius esse requirendum, quod sit hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia. Id enim esse patuit, et ratione quantum valuimus, et ea quae nostrae rationi antecellit auctoritate divina, nihil aliud quam ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhaerere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui haerere certe non valemus, nisi dilectione, amore, caritate.

Caput XV. 25. *Quatuor virtutes definit christiane.* — Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se praebens ei quod amatur: fortitudo, amor facile tolerans

omnia propter quod amatur: justitia, amor soli amato serviens et propterea recte dominans: prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summae sapientiae summaeque concordiae. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem: fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem: justitiam, amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem ceteris, quae homini subjecta sunt: prudentiam, amorem bene discernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.

Caput XVI. 26. *Testamenti veteris et novi concentus.* — His de singulis virtutibus quinam vivendi modus ducatur, paucis explicabo, si prius testimoniis novi Testamenti, quibus utor jam diu, de veteri etiam paria, ut pollicitus sum, comparavero. Num enim Paulus tantum dicit: Deo nos esse debere subjunctos, ita ut in medio quod separet nihil sit (Rom. 8, 35. ss.)? Nonne et propheta commodissime hoc et brevissime significat, cum dicit: *Mihi autem adhaerere*

Deo bonum est (Ps. 72, 28)? Nonne quod ibi latissime de caritate dictum est, hic uno verbo continetur quod ait: *Inhaerere?* Item quod addidit, *bonum est*, nonne ad illud respicit, quod ibi positum est: *Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum?* Ita ut una sententiola duobusque verbis propheta et vim et fructum caritatis ostendat.

27. Cumque ibi dictum sit: Dei Filium Dei virtutem esse atque sapientiam (1. Cor. 1, 24): cumque virtus ad operationem, sapientia vero ad disciplinam pertinere intelligatur (unde in Evangelio duo ipsa signantur, cum dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, nam hoc operationis atque virtutis est: deinde quod ad disciplinam verique cognitionem attinet: *Et vita*, inquit, *erat lux hominum* (Joan. 1, 3): potuitne quidquam magis concinere his testimoniis novi Testamenti, quam illud quod in vetere dictum est de sapientia: *Attingit autem a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter?* Namque attingere fortiter, magis virtutem significat; disponere autem suaviter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur obscurum, vide quae sequuntur: *Et omnium*, inquit, *Dominus dilexit illam*: *doctrix est enim disciplinae Dei, et electrix*

operum illius. Videtur hic nihil aliud de operatione dictum: non enim hoc est eligere opera, quod operari: ergo haec ad disciplinam pertinent: opus virtuti debetur, ut sit plena, quam volumus demonstrare, sententia. Lege igitur deinceps quod annexum est. *Quod sit honesta est*, inquit, *possessio, quae concupiscitur in vita, quid sapientia est honestius, quae omnia operatur?* Potestne quidquam praeclarius aut manifestius, aut vero etiam uberius proferri? Audi aliud, si parum putas, quod idem sonet: *Sobrietatem enim sapientia docet*, inquit, *et justitiam et virtutem.* Sobrietas mihi ad ipsam cognitionem veri videtur pertinere, id est, ad disciplinam; justitia vero et virtus ad actionem atque ad operationem. Quibus duobus, id est, agendi efficacia et sobrietate contemplandi, quae Dei virtus et Dei sapientia, id est, Dei Filius dilectoribus suis donat, quid comparandum sit nescio, cum idem propheta statim dicat, quanti sint ista pendenda: nam ita positum est: *Sobrietatem enim sapientia docet, et justitiam et virtutem* (Sap. 8, 1. ss.), quibus utilius nihil est in vita hominibus[1]).

---

1) Haec retractans Augustinus l. 1. c. 7. n.

28. Haec fortasse quispiam non de Filio Dei dicta esse arbitretur. Quid ergo aliud ostendit quod dictum est: *Generositatem magnificat, contubernium habens Dei?* An vero generositas solet significare aliud quam parentes? Contubernium vero nonne cum ipso Patre aequalitatem clamat atque asserit? Deinde cum Paulus dicat: Filium Dei esse Dei sapientiam; et ipse Dominus: *Nemo novit Patrem, nisi unigenitus Fi-*

3.: „Similiter (cf. supra annot. p.) et paulo post testimonium posui de libro Sapientiae secundum codicem nostrum, in quo scriptum erat: *Sobrietatem enim sapientia docet et justitiam et virtutem* (8, 7). Et secundum haec verba disserui res quidem veras, sed ex occasione mendositatis inventas. Quid enim verius, quam quod sapientia doceat veritatem contemplationis, quam nomine sobrietatis significatam putavi, et actionis probitatem, quam per duo alia intelligi volui, per justitiam atque virtutem: cum codices ejusdem interpretationis veriores habeant, *sobrietatem enim et sapientiam docet, et justitiam et virtutem?* His enim nominibus latinus interpres quatuor illas virtutes, quae maxime in ore philosophorum esse assolent, nominavit; sobrietatem appellans temperantiam, prudentiae imponens nomen sapientiam, fortitudinem vero virtutis vocabulo enuncians, solam justitiam suo nomine interpretatus est. Has autem quatuor virtutes in eodem libro Sapientiae suis nominibus appellatas, sicut a graecis vocantur, longe postea reperimus in codicibus graecis.‟

lius (Matth. 11, 27); quid potuit a propheta congruentius dici, quam illud quod dictum est: *Et tecum sapientia, quae novit opera tua, quae affuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid placiturum esset oculis tuis.* Quod autem Christus est veritas, quod idem ostenditur, cum splendor Patris nuncupatur, non est enim quidquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit. Quid ergo potuit apertius et clarius ex vetere Testamento huic sententiae consonare, quam illud quod dictum est: *Veritas tua in circuito tuo* (Ps. 88, 9). Postremo dicit ipsa sapientia in Evangelio: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me:* dicit propheta: *Sensum tuum ergo quis scit, nisi tu dederis sapientiam?* Et paulo post: *Et quae tibi placent, didicerunt homines, et per sapientiam sanati sunt* (Sap. 9, 17. ss).

29. Dicit Paulus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5): Dicit propheta: *Sanctus enim Spiritus disciplinae effugiet dolum* (Sap. 1, 5). Ubi enim dolus, caritas nullla est. Dicit Paulus: *Conformes fieri nos imaginis Filii Dei* (Rom. 8, 29): dicit propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (Psal. 4, 7). Ostendit Paulus Deum esse Spiritum san-

ctum, et ideo non esse creaturam: dicit propheta: *Et miseris Spiritum sanctum de altissimis* (Sap. 9, 17). Solus enim Deus altissimus, quo nihil est altius. Ostendit Paulus Trinitatem istam unum Deum esse, cum dicit: *Ipsi gloria* (Rom. 11, 36): dicitur in veteri Testamento: *Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. 6, 4).

Caput XVII. 30. *Apostrophe ad manichaeos, ut resipiscant.* — Quid vultis amplius? Quid imperite atque impie saevitis? Quid indoctas animas noxia suasione pervertitis? Utriusque Testamenti Deus unus est. Nam ut ista sibi congruunt, quae de utroque posuimus; ita etiam cetera, si diligenter et aequo judicio velitis attendere. Sed quia multa dicuntur submissius et humi repentibus animis accomodatius, ut per humana in divina consurgant; multa etiam figurate, ut studiosa mens et quaesitis exerceatur utilius et uberius laetetur inventis, vos mirifica dispositione Spiritus sancti ad decipiendos vestros auditores et illaqueandos abutimini. Quod ipsum cur divina providentia vos facere sinat, quamque verissime Apostolus dixerit: *Oportet multas haereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos*

(1. Cor. 11, 19), et longum est disputare, et quod dicendum est vobis: Non est vestrum ista intelligere. Non parum mihi cogniti estis. Crassas omnino mentes et corporeorum simulacrorum pestifero pastu morbidas ad divina judicanda defertis, quae multo altiora sunt quam putatis.

31. Quare vobiscum modo sic agendum est, non ut ea jam intelligatis, quod fieri non potest, sed ut intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex et purā caritas Dei, quae maxime spectatur in moribus, de qua multa jam diximus: quae inspirata Spiritu sancto perducit ad Filium, id est, ad sapientiam Dei, per quam Pater ipse cognoscitur. Nam si sapientia et veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quaeratur, ut dignum est, subtrahere sese atque abscondere a suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos soletis, quod ait: *Petite, et accipietis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Nil est occultum, quod non revelabitur* (Matth. 7, 7. et 10, 26). Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur. Ab hoc amore sa-

pientiae diligentiaque quaerendi, non deterremur veteri testamento, quod semper mendacissime dicitis, sed ad haec vehementissime concitamur.

32. Audite itaque aliquando, et advertite quaeso sine pertinacia quid per prophetam dicatur: *Clara est*, inquit, *et quae nunquam marcescat sapientia, et facile videtur ab iis qui diligunt illam, et invenitur ab iis, qui quaerunt illam, praeoccupat qui se concupiscunt, ut illis se ostendat. Qui vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam inveniet foribus suis. Cogitare enim de illa, sensus est consummatus: et qui vigilaverit propter illam, cito erit securus: quia dignos se ipsa circuit quaerens, et in viis ostendit se illis hilariter, et omni providentia occurrit illis. Initium enim illius verissimum disciplinae concupiscentia est. Cura ergo disciplinae dilectio est, et dilectio custoditio legum illius est. Custoditio autem legum, confirmatio incorruptionis est: incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum* (Sap. 6, 13—21). Ita ne tandem adhuc adversum ista latrabitis? Nonne ita posita et nondum intellecta, cuivis significant altum se quiddam et inef-

fabile continere? O utinam possetis intelligere quae dicta sunt? Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum et vanissimas imaginationes corporum, totosque vos magna alacritate, sincero amore, firmissimâ fide, sanctissimo Ecclesiae catholicae gremio conderetis.

Caput XVIII. 33. *In catholica sola perfecta veritas ex utriusque Testamenti consensu.* — Poteram pro mea mediocritate discutere singula, et eruere ac demonstrare quae accepi, in quorum excellentia et altitudine plerumque verba deficiunt: sed quamdiu latratis, non est faciendum. Non enim frustra dictum est: *Nolite sanctum dare canibus* (Matth. 7, 6). Ne succenseatis. Et ego latravi et canis fui, quando mecum jure non docendi cibo, sed refellendi fustibus agebatur. Si autem in vobis esset caritas, de qua nunc agitur, vel etiam si fuerit aliquando, quantam cognoscendae veritatis magnitudo desiderat, aderit Deus, qui ostendat vobis neque apud manichaeos esse christianam fidem, quae ad summum apicem sapientiae veritatisque perducit, qua perfrui nihil est aliud nisi beate vivere, neque esse uspiam, nisi in catholica disciplina. Quid enim aliud videtur apostolus Paulus optare,

cum dicit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae fortitudinem, corroborari per Spiritum in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris: ut in caritate radicati et fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit altitudo et longitudo et latitudo et profundum: cognoscere etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* (Ephes. 3, 14, 18). Potestne quidquam dici manifestius?

34. Obsecro vigilate paululum, videte Testamenti utriusque concordiam, qui sit in moribus vitae modus, et quo sint referenda omnia, satis aperientem et docentem. Amorem Dei concitant Evangelia, cum dicitur: *Petite, quaerite, pulsate* (Matth. 7, 7): concitat Paulus dicendo: *Ut in caritate radicati et fundati, possitis comprehendere* (Ephes. 3, 17): concitat etiam propheta, cum dicit, facile sapientiam ab iis, qui eam diligunt, quaerunt, concupiscunt, vigilant, cogitant, curant, posse cognosci. Salus animi et via beatitudinis utrarumque Scriptura-

rum pace monstratur, et vos latrare potius adversus haec, quam his obtemperare diligitis. Brevi dicam quod sentio: Audite doctos Ecclesiae catholicae viros tanta pace animi et eo voto, quo vos ego audivi; nihil opus erit novem annis, quibus me ludificastis[1]). Longe omnino, longe breviore tempore, quid intersit inter veritatem vanitatemque cernetis.

Caput XIX. 35. *Temperantiae officia ex sacris literis describit.* — Sed tempus est ad illas virtutes quatuor reverti, et ex his singulis eruere ac ducere vivendi modum. Itaque prius temperantiam videamus, quae nobis amoris illius, quo innectimur Deo, integritatem quandam et incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quae nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis ejus: quod est, ut brevi explicem, beata vita. Ibi enim est sedes veritatis, cujus contemplatione perfruentes eique penitus adhaerentes, procul dubio beati sumus: inde autem decidentes, magnis erro-

1) Augustinus novem annis manichaeos sequebatur ab anno aetatis 19. ad annum 28. Cf. *Confessionum* l. 4. c. 2.

ribus doloribusque implicamur. Namque, ut ait Apostolus: *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes, naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (1. Tim. 6, 10). Quod peccatum animae in veteri Testamento satis aperte bene intelligentibus in ipsius hominis, qui erat in paradiso, praevaricatione signatur. *In Adam quippe omnes morimur*, ut ait idem, *et in Christo omnes resurgemus* (1. Cor. 15, 22). O alta mysteria? Sed reprimam me. Non enim modo suscepi docere vos recta, sed dedocere prava, si potero, id est, si Deus annuerit proposito in vos meo.

36. Dicit ergo Paulus, radicem omnium malorum esse cudiditatem, per quam etiam lex vetus primum hominem lapsum esse significat. Monet Paulus, ut exuamus nos veterem hominem, et induamus novum (Coloss. 3, 9). Vult autem intelligi Adām, qui peccavit, veterem hominem; illum autem quem suscepit in sacramento Dei Filius ad nos liberandos, novum. Dicit namque alio loco: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis. Qualis terrenus, talis et terreni; qualis coelestis, tales et coelestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis*

(1. Cor. 15, 47): hoc est, exuite veterem, et induite novum. Omne igitur officium temperantiae est exuere veterem hominem et in Deo renovari, id est, contemnere omnes corporeas illecebras laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia et divina conferre. Unde illud sequitur, quod mirifice dictum est: *Si et exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (2. Cor. 4, 16). Audi et prophetam canentem: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Ps. 50, 12). Quid contra istam convenientiam dici, nisi a coecis latratoribus potest?

Cap. XX. 37. *Sensibilia omnia contemnere et Deum solum amare jubemur.* — Illecebrae autem corporis sitae sunt in his omnibus, quae corporeus sensus attingit, quae a nonnullis etiam sensibilia nominantur: in quibus maxime lux ista vulgaris excellit, quia et in ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis praeferendum: et ideo in Scripturis sanctis visibilium nomine sensibilia cuncta significantur. Itaque in novo Testamento sic ab istorum amore prohibemur: *Non respicientes* inquit, *quae videntur, sed quae non vi-*

dentur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna (2. Cor. 4, 18). Ex quo intelligi potest, quam christiani non sint qui solem et lunam non modo diligendos, sed etiam colendos putant[1]). Quid enim videmus, si solem et lunam non videmus? Vetiti autem sumus converti ad ea quae videntur. Non sunt igitur etiam ista diligenda ei, qui amorem illum incorruptum Deo cogitat exhibere. Sed erit mihi alius locus, quo de istis diligentius requiretur. Non enim nunc de fide, sed de vita dicere institui, per quam meremur scire quod credimus. Amandus igitur solus Deus est: omnis vero iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda: utendum autem his ad hujus vitae necessitatem.

Caput XXI. 38. *Gloria popularis et curiositas sacris literis damnata.* — Gloria vero popularis sic in novo Testamento abjicitur atque contemnitur: *Si hominibus*, inquit, *placere vellem, Christi servus non essem* (Gal. 1, 10). Est idem aliud, quod de corporibus per imaginationes quasdam concipit anima, et eam vocat rerum scientiam. Quamobrem recte etiam curiosi esse prohi-

1) Haec fuit manichaeorum superstitio.

bemur, quod magnum temperantiae munus est. Hinc illud est: *Cavete, ne quis vos seducat per philosophiam* (Coloss. 2, 8). Et quia ipsum nomen philosophiae si consideretur, rem magnam totoque animo appetendam significat, si quidem philosophia est amor studiumque sapientiae, cautissime Apostolus ne ab amore sapientiae deterrere videretur, subjecit: *Et elementa hujus mundi.* Sunt enim qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus et quanta majestas semper eodem modo manentis naturae, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intentissimeque perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso coelo, de quo saepe disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vanae cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit. Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet esse, nisi corpus; aut etiamsi auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum: de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, et tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quod praecipitur, cavendum esse a simulacris.

39. Huic ergo auctoritati novi Testamenti, qua jubemur nihil mundi hujus diligere, illa maxime sententia, qua dictum est: *Nolite conformari huic mundo* (Rom. 12, 2): simul enim demonstrandum est, ei rei quemque conformari quam diligit. Huic ergo auctoritati si de veteri Testamento quaeram quid comparem, plura quidem invenio, sed unus Salomonis liber, Ecclesiastes qui dicitur, copiosissime in summum contemptum omnia ista perducit. Incipit enim sic: *Vanitas vanitantium, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitantium, et omnia vanitas*[1]. *Quae abundantia homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole* (Eccl. 1, 2)? Haec verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inveniuntur pernecessaria iis, qui hunc mundum fugere, et refugere in Deum desiderant: sed longum est,

---

1) „Item, inquit Augustinus ad h. l. Retract. l. 1. c. 7. n. 3., quod posuit de libro Salvatoris: *Vanitas vanitantium, dixit Ecclesiastes* (1, 2), in multis quidem codicibus legi, sed hoc graecus non habet: habet autem *vanitas vanitatum*, quod postea vidi; et inveni eos latinos esse veriores, qui habent *vanitatum*, non *vanitantium*. Ex occasione tamen hujus mendositatis quaecunque disserui vera esse ipsis rebus apparet."

et alio festinat oratio. Tali tamen principio constituto, exsequitur omnia, vanitantes esse eos, qui rebus hujusmodi falluntur. Idipsum autem quo falluntur vanitatem vocans, non quod Deus ista non creaverit, sed quia subjicere se homines volunt iis rebus per peccata, quae illis per recte facta divina lege subjectae sunt. Quid est enim aliud, falsis bonis illudi atque decipi, quam te ipso inferiora miranda et appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus vitae regulam utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitae hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. Haec dicta sint de temperantia pro rerum magnitudine breviter; pro instituto tamen opere fortasse copiosius quam oportebat.

Caput XXII. 40. *Fortitudinem praestat amor Dei.* — De fortitudine vero non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia, quae in hac vita possidentur, corpus homini gravissimum vin-

culum est, justissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur, laboris et doloris; ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi consuetudinis, non intelligens, si eo bene atque scienter utatur, resurrectionem reformationemque ejus ope ac lege divina sine ulla molestia juri suo subditam fore: sed cum se hoc amore tota in Deum converterit, his cognitis mortem non modo contemnet, verum etiam desiderabit.

41. Sed restat cum dolore magna conflictio. Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur. Nisi vero amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum amatoribus suis Deus sinet esse fortiores; cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi ad ea quae diliguntur indefesso cursu per immania quaeque tendentis, argumento-

que nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant, perferunt.

Caput XXIII. 42. *Fortitudinis monita et exempla ex Scripturis.* — Quid ergo hic novi Testamenti auctoritates colligam, ubi dictum est: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem* (Rom. 5, 3. s.): et non solum dictum, sed etiam exemplis eorum, qui dixerunt, probatum atque firmatum? De veteri potius Testamento, in quod illi rabide saeviunt, excitabo exemplum patientiae. Neque illum memorabo virum, a quo in magnis cruciatibus corporis et horribili tabe membrorum, non modo sustinentur humana, sed divina etiam disputantur. In cujus singulis vocibus satis elucet, si quis aequo animo attendat, quanti pendenda sint ista, quae cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem tenentur, et rerum mortalium servi fiunt, dum imperite domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes divitias, et factus repente pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit et infixum Deo, ut satis demonstraret non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis ho-

mines, non magnopere in novo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. Multo enim mirabilius est, non inhaerere istis quamvis possideas, quam omnino eà non possidere.

43. Sed quoniam de dolore atque cruciatibus corporis tolerandis nunc agitur, relinquo istum virum, licet magnum, licet invictum, virum tamen. Offerunt enim mihi Scripturae illae stupendae fortitudinis feminam (2. Mac. 7), et ad eam jam me transire compellunt. Quae cum septem liberis tyranno atque carnifici prius viscera omnia, quam unum verbum sacrilegum impendit: cum ejus hortatione filii roborarentur, in quorum membris ipsa torquebatur, latura tamen etiam proprio munere, quod eos ferre praeceperat. Quid ad tantam patientiam, quaeso, addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor et tyranno, et carnifici, et dolori, et corpori, et sexui, et affectui resistebat? Annon audierat: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. 115, 15)? Non audierat: *Melior vir patiens fortissimo* (Prov. 16, 32)? Non audierat: *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine, et in humilitate tua habe patientiam: quoniam in*

igne probatur aurum et argentum (Eccli 2, 4. et 5)? Non audierat: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (Id. 27, 6)? Imo vere et haec et alia plura perceperat, quae uno sancto Dei Spiritu, ut in istis novi Testamenti, sic in illis, qui soli adhuc erant, libris divina praecepta fortitudinis conscripta sunt.

Caput XXIV. 44. *De justitia et prudentia.* — Quid de justitia, quae ad Deum pertinet? Nonne cum et Dominus dicat: *Non potestis duobus dominis servire* (Matth. 6, 24), et Apostolus redarguat eos (Rom. 1, 25), qui creaturae potius quam Creatori serviunt, in veteri Testamento prius dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. 6, 13). Sed quid opus est hinc plura dicere, cum sententiis talibus ibi plena sint omnia? Hanc ergo justitia vitae regulam dabit huic amatori, de quo sermo est, ut Deo quem diligit, id est, summo bono, summae sapientiae, summae paci libentissime serviat; ceteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda praesumat. Quae norma vivendi, ut docuimus, utriusque Testamenti auctoritate roboratur.

45. Nec de prudentia diutius disserendum

est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum et vitandorum. Quae si desit, nihil eorum de quibus jam dictum est, effici potest. Hujus autem sunt excubiae atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur: unde saepe Dominus: *Vigilate*, clamat, et: *Ambulate*, inquit, *dum lumen habetis, ne vos tenebrae comprehendant* (Matth. 24, 42, et Joan. 12, 35). Itemque dicitur: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (1. Cor. 5, 6)? Quid autem proferri manifestius de veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit, ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud, quod a propheta dictum est: *Qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. 19, 1)? De qua sententia, si opportunum esset festinantibus, copiosissime disputarem: atque id si a nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus, quam sint alta mysteria, quae imperitissimi et sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu praecipites eunt.

Caput XXV. 46. *Officia quatuor virtutum circa Dei amorem, cujus amoris praemium est aeterna vita et cognitio ve-*

ritatis. — Quid amplius de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: a quo exsistit, ut incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiae; et nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis; nulli alii serviat, quod est justitiae; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, quod est prudentiae. Haec est hominis una perfectio, qua sola impetrat, ut veritatis sinceritate perfruatur: haec nobis Testamento utroque concinitur, haec nobis hinc atque inde sua letur. Quid adhuc Scripturis, quas ignoratis, calumniamini? Nescitis quanta imperitia lacessatis libros, quos et soli reprehendunt, qui non intelligunt; et soli intelligere nequeunt, qui reprehendunt? Non enim eos aut ullus inimicus cognoscere sinitur, aut esse nisi amicus cognitis potest.

47. Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicunque ad vitam aeternam pervenire proposuimus. Vita enim aeterna est totum praemium, cujus

promissione gaudemus: nec praemium potest praecedere merita, priusque homini dari quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere praemium, antequam mereamur accipere. Hic fortasse non incongrue quaeritur, aeterna ipsa vita quid sit. Sed ejus largitorem potius audiamus. *Haec est*, inquit, *vita aeterna*, *ut cognoscant te verum Deum*, *et quem misisti Jesum Christum* (Joan. 17, 3). Aeterna igitur vita est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte, quam sint perversi atque praeposteri, qui sese arbitrantur[1]) Dei cognitionem tradere, ut perfecti simus, cum perfectorum ipsa sit praemium. Quid ergo agendum est, quid quaeso, nisi ut eum ipsum, quem cognoscere volumus, prius plena caritate diligamus[2]). Unde illud exo-

---

1) *Qui se arbitrantur*, ut manichaei.

2) Haec ita emendat Augustinus Retract. l. 1. c. 7. n. 4.: „Quod autem dixit: *Eum ipsum, quem cognoscere volumus*, *hoc est*, *Deum prius plena caritate diligamus*, melius diceretur *sincera* quam *plena*, ne forte putaretur caritatem Dei non futuram esse majorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur, tamquam plena dicta, qua major esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem: erit enim plenior, imo plenissima, sed per speciem.“

ritur, quod ab initio satagimus, nihil in Ecclesia catholica salubrius fieri, quam ut rationem praecedat auctoritas.

Caput XXVI. 48. *Dilectio sui et proximi.* — Sed cetera videamus: videtur enim de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum: sed parum dilucide qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest, ut se ipsum, qui Deum diligit, non diligat: imo vero solus se novit diligere, qui Deum diligit. Si quidem ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo et vero perfruatur bono: quod si nihil est aliud quam Deus, sicut ea quae dicta sunt docuerunt, quis cunctări potest, quin sese amet, qui amator est Dei? Quid, inter ipsos homines nullumne esse amoris vinculum debet? Imo vero ita debet, ut nullus certior gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quam hominis erga hominem caritas.

49. Promat nobis ergo alterum praeceptum ipse Dominus, de vitáe praeceptis interrogatus: non enim contentus fuit uno, qui sciret aliud Deum esse, aliud hominem: ătque interesse tantum, quantum inter eum qui creavit, et id quod ad Creatoris similitudinem creatum est. Dicit ergo secundum praeceptum esse: *Diliges proximum tuum*

tamquam te ipsum (Matth. 22, 39). Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tamquam te ipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis. Illud est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc praecepto nascuntur officia societatis humanae, in quibus non errare difficile est. Agendum autem imprimis est, ut benevoli simus, id est, ut nulla malitia, nullo dolo malo adversus hominem utamur. Quid enim homini homine propinquius?

50. Accipe etiam quid Paulus dicat: *Dilectio*, inquit, *proximi, malum non operatur* (Rom. 13, 10). Brevissimis utor testimoniis, sed, nisi fallor, idoneis, et quibus susceptae rei satis fiat: nam quis ignorat quam multa, et quanti ponderis verba in illis libris de caritate proximi usquequaque diffusa sint? Sed cum duobus modis peccetur in homine, uno si laedatur, alio si cum potest non adjuvetur; eaque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum, qui diligit, facit: sàtis, opinor, quod volumus demonstrat ista sententia: *Dilectio proximi*

malum non operatur. Et si ad bona pervenire non possumus, nisi mala operari destiterimus, ista sunt quasi cunabula caritatis Dei, quibus diligimus proximum: ut quoniam *Dilectio proximi malum non operatur*, hinc ad illud ascendamus quod dictum est: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum* (Rom. 8, 28).

51. Sed nescio quomodo aut pariter ista in plenitudinem perfectionemque consurgunt, aut inchoatur prius Dei amor, et prius perficitur proximi. Ad incipiendum enim citius nos fortasse in se divina caritas rapit, sed facilius minora perficimus. Quoquo modo autem res se habeat, illud maxime tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem et ad Deum quem diligit esse venturum. Atque utinam ut facile est bene instituto et benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad haec satis est voluntas bona, sed opus est magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo uti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. De qua re, quantum arbitror, difficillima, tentabimus dicere pro suscepto opere pauca quaedam, spem totam constituentes in eo, cujus solius ista dona sunt.

Caput XXVII. 52. *Beneficentia in corpus proximi.* — Homo igitur ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero animae hominis bene facit, qui proximum diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est: ad animam autem, disciplina. Sed medicinam nunc voco, quidquid omnino corporis vel tuetur vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent non ea tantum, quae ars eorum exhibet, qui proprie medici nominantur; sed etiam cibus et potus, tegmen et tectum, defensio denique omnis atque munitio, qua nostrum corpus adversus etiam externos ictus casusque servatur: nam et fames, et sitis, et frigus, et aestus, et quidquid extrinsecus graviter infligitur, salutem, de qua nunc agitur, manere non sinunt.

53. Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui officiose atque humaniter praebent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur[1]). Nam

---

1) Ne haec praepostere accipiantur, advertit s. doctor l. 1. Retract. c. 7. n. 4.: „Item quod dixi de iis, qui subveniunt indigentibus, quia *misericordes*

quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subvenit inopi, cum esurienti cibum praestat potumque sitienti, cum vestit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen, cum absit miseria.

54. Stulti vero cum misericordiam quasi vitium devitant, quia officio satis moveri nequeunt, si nec perturbatione commoventur, congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur. Itaque multo prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur: qui quemadmodum dicatur, restat intelligere iis, qui sese idoneos religione studioque praestiterint: ne cum verbis

---

vocantur, etiam si sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur, non sic accipiendum est, tamquam definierim, in hac vita esse tales sapientes: non enim dixi *cum sint,* sed dixi, *etiam si sint.*«

doctorum inepte utimur, indoctorum animas prius durescere vitando misericordiam, quam benignitatem appetendo mitescere faciamus. Atque ut misericordia jubet, ista nos ab homine pellere incommoda, sic innocentia prohibet inferre.

Caput XXVIII. 55. *Beneficientia in animam proximi. Disciplinae partes duae; coercitio et instructio. Per bonos mores nobis provenit cognitio veritatis.* — Quod autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quae si absit, nihil ad depellendas miserias salus illa corporis valet, difficillima omnino res est. Atque ut in corpore dicebàmus, aliud esse morbos et vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt; aliud autem famem sitimque sopire et cetera, in quibus subvenire hominem homini vulgo passimque conceditur: sic in animo sunt quaedam, in quibus excellentia illa et rara magisteria non admodum desiderantur: ut cum hortamur et monemus, ut haec ipsa indigentibus exhibeantur, quae corpori exhibenda esse diximus. Cum enim haec facimus, ope corpori; cum autem docemus ut fiant, disciplina animo subvenimus. Sunt vero alia, quibus multimodi variique morbi animorum magna qua-

dam et prorsus ineffabili ratione sanantur: quae medicina nisi divinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata progressione peccantibus: quamquam et illa corporis, si altius rerum originem repetas, non invenitur unde ad homines manare potuerit, nisi a Deo, cui rerum omnium status salusque tribuenda est.

56. Haec tamen disciplina de qua nunc agimus, quae animi medicina est, quantum Scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur, coercitionem et instructionem. Coercitio timore, instructio vero amore perficitur, ejus dico, cui per disciplinam subvenitur: nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementia fit omnino, ut aliquid simus, duobus Testamentis vetere et novo disciplinae nobis regulam dedit. Quamquam enim utrumque in utroque sit, praevalet tamen in vetere timor, amor in novo: quae ibi servitus, hic libertas ab apostolis praedicatur. De quorum Testamentorum admirabili quodam ordine divinoque concentu, longissimum est dicere, et multi religiosi doctique dixerunt. Multos libros res ista flagitat, ut pro merito, quantum ab homine potest, explicari et praedicari queat.

Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest, ut salvus corpore salvusque animo sit: sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primo timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.

57. Atque in his duobus convenit mihi cum manichaeis, id est, ut Deum et proximum diligamus: sed hoc veteri Testamento negant contineri: in quo quantum errent, satis, ut opinor, apparet ex iis, quas superius protulimus de utroque sententiis. Verumtamen ut breve aliquid dicam, sed tale cui resistere sit merae dementiae, nonne animadvertunt haec ipsa duo, quae laudare coguntur, quam importunissime a Domino in Evangelio de vetere Testamento esse prolata negent, ubi scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua:* vel illud alterum: *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum* (Deut. 6, 5. Matth. 22, 37. Levit. 19, 18). Aut si haec negare non audent, (premuntur enim luce veritatis) illud negare audeant, salubria esse ista praecepta, his mores optimos contineri negent

si possunt, et dicant non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi; neque diligentibus Deum omnia procedere in bonum, neque dilectionem proximi malum non operari (Rom. 8, 28, et 13, 10); quibus duobus saluberrime atque optime humana vita disponitur. Quae si dicunt, non solum illis cum christianis, sed nec cum hominibus quidem ratio est. Sin haec dicere non audent, coguntur que confiteri esse divina, quid eos libros, unde ista prolata sunt, impietate nefaria lacessere atque improbare non desinunt?

58. An illud dicturi sunt, non esse consequens, ut omnia ibi bona sint, ubi haec invenire potuimus? nam hoc solent dicere. Cui ego tergiversationi quid respondeam, et quemadmodum occurram, non facile video. Discutiamne verba singula veteris Testamenti, ut in his summam cum Evangelio esse concordiam pervicacibus indoctisque demonstrem? Sed quando istud erit? quando aut ego sufficiam, aut ipsi patientur? Quid ergo faciam? Deseramne causam, et eos in sententia quamvis improba et falsa, tamen difficili ad dissolvendum delitescere sinam? Non faciam: aderit de proximo Deus ipse, cujus illa praecepta sunt; nec me in tan-

tis angustiis inopem ac desertum esse patietur.

Caput XXIX. 59. *De Scripturarum auctoritate.* — Quâmobrem adestote animis, manichaei, si qui forte illa superstitione ita tenemini, ut evadere aliquando possitis. Adestote, inquam, sine pertinacia, sine studio resistendi: nam aliter vobis perniciosissimum est judicare. Certe enim nemini dubium est, nec aversi vos ita estis a vero, ut non intelligatis, si diligere Deum et proximum, bonum est, quod negare nemo potest, quidquid in his duobus praeceptis pendet, vituperari jure non posse. Quid ergo in iis pendeat, ridiculum est si a me quaerendum esse putas: ipsum Christum audi, audi, inquam, Christum, audi Dei Sapientiam. *In his,* inquit, *duobus praeceptis tota Lex pendet, et omnes Prophetae* (Matth. 22, 40).

60. Quid hoc loco potest dicere impudentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse? At in Evangelio verba ejus ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? quid ista voce impudentius? quid audacius? quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt di-

cere. Consequetur namque omnium literarum summa perversio, et omnium qui memoriae mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiae quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Postremo quid de Scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionemque proferatur?

61. Illud vero quis ferre possit, quod nos notissimis ac jam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, et iis, quae ipsi proferunt, imperant ut credamus? Si de Scriptura dubitandum est, de qua magis quam quae diffamari non meruit, quaeve potuit sub nomine alio tota mentiri[1]? Si istam obdis invito, et auctoritatis exaggera-

---

1) *Quae diffamari* divulgari famamque et auctoritatem penes populus consequi *non meruit*, *quaeve potuit sub nomine alio* i. e. usurpato, ementito *tota mentiri*, ut manichaeorum scriptura. Respicit hic s. Augustinus libros apocryphos et spurios manichaeorum, qui provocabant ad Evangelium s. Thomae, Philippi etc. *Si istam obdis*, obtrudis *invito* etc.

tione cogis in fidem; egone de illa, quam constànter latissime divulgatam video, et ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione munitam, dubitabo miser, et quod est miserius, te auctore dubitabo? Cum si exemplaria proferres altera, tenere non deberem nisi ea, quae plurium consensione commendarentur; nunc nihil te proferente quod conferas, praeter inanissimam vocem temeritatisque plenissimam, putabis usque adeo genus humanum esse perversum, et divinae providentiae ope desertum, ut illis Scripturis non a te prolatas alias, quibus redarguantur, sed tua tantum verba praeponat? Proferendus est namque tibi alius codex eadem continens, sed tamen incorruptus et verior, ubi sola desint ea, quae hic immissa esse criminaris. Ut si verbi causa Pauli epistolam, quae ad Romanos scripta est, corruptam esse contendis, aliam proferas incorruptam, vel alium codicem potius, in quo ejusdem Apostoli eadem epistola sincera et incorrupta conscripta sit. Non faciam, inquis, ne ipse corrupisse credar, hoc enim soletis dicere; et verum dicitis: nihil prorsus aliud suspicabuntur vel mediocriter cordati homines, si hoc feceris. Vide ergo tu ipse, quid de auctoritate tua judicaveris:

et intellige utrum tuis verbis contra illas Scripturas credere debeant, si codici, ob hoc solum quod abs te profertur, magnae temeritatis est credere.

Caput XXX. 62. *Apostrophe ad Ecclesiam totius sapientiae magistram. Doctrina catholicae Ecclesiae.* — Sed quid hinc plura? Quis enim non videat eos, qui contra Scripturas christianas haec audent dicere, ut illud non sint, quod homines suspicantur, certe tamen non esse christianos? Nam christianis haec data est formà vivendi, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, deinde proximum nostrum tamquam nosmetipsos: *In his enim duobus praeceptis tota lex pendet, et omnes prophetae* (Matth. 22, 37). Merito Ecclesia catholica, mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire jubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili aeternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohaerendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; ne-

que confundens[1]), quod aeternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod majestas una conjungit: sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat.

63. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam offi-

1) *Neque confundens* scil. Deum et proximum.

cii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur injuria.

64. Jamvero cum haec humana dilectio inhaerentem uberibus tuis nutriverit et roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum[1]); ubi ejus majestas ex tanta parte

---

1) Haec s. Augustinus retract. l. 1. c. 7. n. 5.: „Alio loco, ubi dixi: Jam vero cum haec humana dilectio etc.“ (usque ad verba: *Ego sum ignis consumens*) ita explicat: „Possunt putare pelagiani istam perfectionem in hac mortali vita me dixisse posse contingere. Sed non hoc putent: ardor quippe caritatis sequendo Deo factus idoneus et tam magnus, ut vitia cuncta consumat, in hac vita nasci et

quanta homini, dum terrae hujus inhabitator est, sufficit, aperire se coeperit, tantus caritatis ardor innascitur, et tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, et homine purgato atque sanctificato, satis appareat quam divine dictum sit: *Ego sum ignis consumens* (Deut. 4, 24): et, *ignem veni mittere in mundum* (Luc. 12, 49). Quae duae voces unius Dei in duobus Testamentis signatae sanctificatio-

---

crescere potest; perficere vero propter quod nascitur, ut nullum insit homini vitium, non consequenter hic potest; quamvis tanta ista res eodem ardore caritatis perficiatur, ubi perfici et quando perfici potest; ut quemadmodum lavacrum regenerationis purgat a reatu omnium peccatorum, quae humana traxit nativitas et contraxit iniquitas; ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc seculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea: mundans eam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi* (Eph. 5. 25. s.). Hic est enim lavacrum aquae in verbo, quo mundatur Ecclesia. Sed cum tota dicat, quamdiu hic est: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. 6, 12), non utique hic est sine macula aut ruga aut aliquid ejusmodi: ex eo tamen, quod hic accipit, ad illam gloriam, quae hic non est, perfectionemque perducitur.

nem animae concordi attestatione declarant, ut fiat aliquando illud, quod item in novam Scripturam de veteri assumptum est: *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua* (1. Cor. 15, 54)? Quod unum isti haeretici intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud te atque in tuo gremio minime superbi et bene pacati venerarentur. Merito apud te divina praecepta late diffuseque servantur. Merito apud te bene intelligitur, quam sit gravius cognita, quam incognita lege peccare. *Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex* (Ibid. 56), qua gravius feriat et interimat contempti praecepti conscientia. Merito apud te visum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, et cohibetur poenae metu, non amore virtutis obruitur. Merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet.

Caput XXXI. 65. *Manichacorum continentiae opponit anachoretarum et coenobi-*

tarum vitam. — Quid est, quaeso, quod vident, qui non possunt hominem non diligere, et tamen possunt hominem non videre[1]? Profecto illud quidquid est, praestantius est rebus humanis, cujus contemplatione potest homo sine homine vivere. Jam enim accipite, manichaei, perfectorum christianorum, quibus summa castitas, non laudanda tântum, sed etiam capessenda visa est, mores et continentiam singularem: ne vos impudenter jactare apud animos imperitorum, quasi difficillima rerum abstinentiă, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quae vos ignoratis, sed quae nobis[2]) occultatis. Quis enim nescit summae continentiae hominum christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime atque Aegypto, quod vos nullo modo potest latere?

66. Nihil de iis dicam, quos paulo ante commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis

1) Loquitur de iis, qui vitam solitariam agunt, qui homines diligunt, quin eos videant.

2) *Quae nobis* vestris quondam discipulis.

per certa intervalla temporum affertur, et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhaeserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quae nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plusquam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum et supervacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum catholicae fidei christianorum, ut restringenda nonnullis et quasi ad humanos fines revocanda videatur: usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam, quibus id displicet, judicatur.

67. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem

agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbiâ tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod sint denis praepositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianae necessitati, vel mutatae, ut assolet, valetudini. Illi autem decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, et praesto facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem patrem appellant. Hi vero patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque

habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum patrem, et conveniunt ad singulos patres terna, ut minimum, hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto et omni clamore vacuo gaudio significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti et salubritati satis est, coercente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat vel in ea ipsa, quae praesto sunt parca et vilissima. Ita non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam, quae tanto concitatius ventris et gutturis provocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis[1]) videntur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod a carnibus alienum est, ridicule turpiterque defendi. Sane quidquid necessario victui redundat (nam redundat plu-

---

1) Respicit hic manichaeos, qui scrupulose distinguebant inter cibos mundos et immundos. Cf. hanc descriptionem vitae sanctissimae coenobitarum cum ea, quae legitur apud Hieronymum ep. 22. n. 35. opusc. 11, 95. ss.

rimum ex operibus manuum et epularum restrictione), tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut haec sibi abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quae inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere.

68. Haec est etiam vita feminarum Deo sollicite casteque servientium, quae habitaculis segregatae ac remotae a viris quam longissime decet, pia tantum illis caritate junguntur et imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria praebendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo, et vereor ne judicare videar per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Haec, manichaei, reprehendite, si po-

testis. Nolite caecis hominibus et discernere invalidis ostentare nostra zizania.

Caput XXXII. 69. *Clericorum laus.* — Neque tamen ita sese anguste habent Ecclesiae catholicae mores optimi, ut eorum tantum vita, quos commemoravi, arbitrer esse laudandos. Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et cujuscemodi ministros divinorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et majore praedicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus praesunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, et prius toleranda quam sedanda est pestilentia. Difficillimum est hic tenere optimum vitae modum, et animum pacatum atque tranquillum. Quippe, ut breviter explicem, hi agunt ubi vivere discitur, illi ubi vivitur.

Caput XXXIII. 70. *Aliud genus in civitate simul viventium. Jejunia triduana.* — Nec ideo tamen laudabile christianorum genus contempserim, eorum scilicet qui in civitatibus degunt, a vulgari vita remotissimi. Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani,

non paucorum hominum, quibus unus presbyter praeerat vir optimus et doctissimus. Romae etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia et divina scientia praepollentes, ceteris secum habitantibus praesunt, christiana caritate, sanctitate et libertate viventibus: ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more et Pauli apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius saepissime sine cibo âc potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis; quibus item multis viduis et virginibus simul habitantibus, et lana ac tela victum quaeritantibus, praesunt singulae gravissimae probatissimaeque non tantum in instituendis componendisque moribus, sed etiam instruendis mentibus peritae ac paratae.

71. Atque inter haec nemo urgetur in aspera, quae ferre non potest, nulli quod recusat imponitur, nec ideo condemnatur a ceteris; quod in eis se imitandis fatetur invalidum: meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit caritas: me-

minerunt: *Omnia munda mundis* (Tit. 1, 15): et, *non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit* (Matth. 15, 11). Itaque non rejiciendis generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscentiae perdomandae, et dilectioni fratrum retinendae invigilat omnis industria. Meminerunt: *Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et illas destruet* (1. Cor. 6, 13). Et alibi: *Neque si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, egebimus* (Ib. 8, 8). Et illud prae ceteris: *Bonum est, fratres, non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur* (Rom. 14, 21). Hic enim ostendit, quam sint ad finem caritatis haec omnia dirigenda. *Alius enim credit manducare omnia; qui autem infirmus est, olus*, inquit, *manducet. Qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumit. Tu quis es, qui judices alienum servum? Suo Domino stat, aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere eum.* Et paulo post: *Qui manducat, Domino manducat, et gratias agit Deo: et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.* Et item in consequentibus:

Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non ergo amplius judicemus invicem, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est (Rom. 14, 2—14). Potuitne magis ostendere, non in ipsis rebus quibus vescimur, sed in animo esse vim quandam, quae ad eum valeat maculandum; et propterea iis etiam, qui ad haec contemnenda sunt idonei, certoque sciunt non se pollui, si quid ciborum sine turpi cupiditate altitudine mentis assumpserint, caritatem tamen esse intuendam? Vide quid sequatur: *Nam si propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas.*

72. Lege cetera, nam longum est omnia interponere, et invenies praeceptum iis, qui possunt ista contemnere, id est, firmioribus et securioribus, ideo tamen esse temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro sua imbecillitate hujuscemodi opus est temperantia. Haec illi de quibus agebam norunt et tenent: christiani sunt enim, non haeretici: intelligunt Scripturas secundum apostolicam disciplinam, non secundum super-

bum et commentitium nomen apostoli[1]). *Non manducantem nemo spernit, manducantem nemo judicat: qui infirmus est, olus manducat.* Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt: multis non est causa ista faciendi, sed quod viliore victu vivere placet, minimeque sumptuoso corporis substentaculo aetatem tranquillissimām ducere. *Omnia enim mihi licita sunt*, inquit, *sed ego non redigar sub potestate ullius* (1. Cor. 6, 12). Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiose putant. Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, aegroti sine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur: nam et quibusdam languidioribus, et prorsus omnibus, qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissime ac modestissime praeberi faciunt. Et stulte nonnullos recusantes, fraterne admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum di-

---

1) Alludit Augustinus ad epistolas Manichaei, quarum omnium exordium istud erat: *Manichaeus apostolus Jesu Christi* etc., ut dicitur in l. 13. contra Faustum c. 4.

scipulo praecipientem, ut aliquantum vini sumat propter frequentes infirmitates suas (1. Tim. 5, 23). Ita pietatem sedulo exercent: corporis vero exercitationem, ut ait idem Apostolus, ad exiguum tempus pertinere noverunt (Ib. 4, 8).

73. Continent se igitur ii qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, et a carnibus et a vino duas ob causas: vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Cáritas praecipue custoditur; caritati victus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque caritatem: hanc violare tamquam Deum nefas ducitur: huic si quid resistit, expugnâtur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse a Christo et apostolis, ut si haec una desit, inania; si haec adsit, plena sint omnia.

Caput XXXIV. 74. *Ex malorum christianorum moribus non vituperandam Ecclesiam. Sepulchrorum et picturarum adoratores.* — Istis, manichaei, si potestis, obsistite, istos intuemini, istos sine mendacio, si audetis, et cum contumelia nominate: istorum jejuniis vestra jejunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis,

modestiam modestiae, caritatem denique caritati, et quod res maxime postulat, praeceptis praecepta conferte. Jam videbitis quid inter ostentationem et sinceritatem, inter viam rectam et errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur et tumorem, inter beatitudinem et miseriam, inter unitatem et conscissionem, postremo quid inter superstitionis sirenas et portum religionis intersit.

75. Nolite mihi colligere professores nominis christiani, nec professionis suae vim aut scientes àut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni. Novi multos esse, qui renunciaverunt verbis huic seculo, et se omnibus hujus seculi molibus opprimi velint, oppressique laetentur. Nec mirum est in tanta copia populorum, quod non vobis desint, quorum vita vituperata decipiatis incautos, et a catholica salute

avertatis, cum in vestra paucitate magnas patiamini angustias, dum a vobis exigitur vel unus ex iis, quos electos vocatis, qui praecepta illa ipsa custodiat, quae irrationabili superstitione defenditis. Sed et illa quam vana sint, quam noxia, quam sacrilega, et quemadmodum a magna parte vestrum, atque adeo pene ab omnibus vobis non observentur, alio volumine ostendere institui.

76. Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiae catholicae maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bona voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, poenitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, et cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si jam propter ipsum christianum nomen magis in palea quam in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget et a frumentis paleam separet, et singulis partibus pro suo cujusque merito, quod oportet, summa aequitate distribuat.

Caput XXXV. 77. *Conjugium et posses-*

siones baptizatis etiam concessa per Apostolum. — Vos interea quid saevitis, quid excaecamini studio partium? Quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quaerite: apparebunt facile, seseque offerent ipsa quaerentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus quamvis paucioribus notus, qua possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut invenire non vultis. Sunt in Ecclesia catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non utantur, sunt qui utantur tamquam non utentes (1. Cor. 7, 31), ut ab Apostolo dicitur, quod illis temporibus jam probatum est, quibus ad idolorum cultum christiani cogebantur. Quot enim tunc pecuniosi homines, quot patresfamilias rusticani, quot negotiatores, quot militares, quot primates urbium suarum, quot denique senatores, utriusque sexus, haec omnia vana et temporalia relinquentes, quibus utique quamvis uterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt demonstraveruntque infidelibus a se potius illa omnia, quam se ab eis esse possessos.

78. Quid calumniamini, quod fideles jam

bâptismate renovati, procreare filios, et agros ac domos pecuniamque ullam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari non potest, fidelibus scripsit; post multorum quippe vitiosorum enumerationem, qui regnum Dei non possidebunt: *Et haec quidem fuistis*, inquit, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* Ablutos procul dubio et sanctificatos nemo nisi fideles, et eos qui huic mundo renunciaverint, intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, videamus utrum his illa permittat. Ita enim sequitur: *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri et venter escis, Deus autem et has et hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero suscitavit Dominum, et nos quoque suscitabit per virtutem suam. An nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, efficiam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne una. Qui autem adhae-*

ret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro (1. Cor. 6, 11. ss.). *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter incontinentiam autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquaeque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (Cor. 7, 1. ss.).

79. Satisne vobis videtur Apostolus, et

fortibus demonstrasse quid summum sit, et imbecillioribus permisisse quod proximum est? Nam non attingere mulierem, summum ostendit esse, cum ait: *Vellem omnes homines esse sicut me ipsum.* Huic autem summo conjugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Numquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia conjugibus utuntur? Quandoquidem hac castitate conjugii, et ex se invicem ipsos qui conjuncti sunt, si alter eorum fuerit infidelis, et eam quae inde nascitur prolem sanctificari dixit: *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis in muliere fideli, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt* (Ibid. 7, 14). Quid obstrepitis pertinacia tantae veritati? quid lucem Scripturarum vanis umbris obnubilare conamini?

80. Nolite jam dicere, catechumenis licere uti conjugibus, fidelibus autem non licere, catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam et multi sunt qui utuntur tamquam non utentes. Et illo sacrosancto lavacro inchoatur innovatio novi hominis, ut proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius:

a multis tamen proceditur in novam vitam, si quisquam non inimice, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus: *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (2. Cor. 4, 16). Apostolus de die in diem interiorem hominem renovari dicit ut perficiatur, et vos a perfectione vultis incipiat. Quod utinam velitis: sed quaeritis potius, non unde erigatis invalidos, sed unde fallatis incautos. Hoc enim non debuistis tanta dicere audacia, nec si vos in eis ipsis nugatoriis mandatis vestris perfectos esse constaret. Cum vero noverit vestra conscientia eos, quos in sectam vestram introducitis, cum vobis familiarius jungi coeperint, multa inventuros quae in vobis esse, cum alios accusaretis, nemo suspicabatur; quae tanta impudentia est, perfectionem in catholicis imbecillioribus quaerere, ut inde imperitos avertas, et eam nullo modo apud te iis quos averteris exhibere? Sed ne quid in vos temere jam videamur effundere, iste sit hujus voluminis modus, ut ad demonstranda praecepta vitae vestrae moresque memorabiles aliquando veniamus.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

AD CATHOLICOS EPISTOLA

CONTRA DONATISTAS

VULGO

DE UNITATE ECCLESIAE

LIBER UNUS[1]).

Proposita quaestione, sitne Christi Ecclesia apud catholicos, an apud donati-

1) Hic liber seu epistola scripta videtur circa a. 402. Ejus mentionem non facit s. doctor in ll. Retractationum, forte quia proprie epistola est, non liber. Contra ejus authentiam nonnulla dubia movent editores maurini ex criteriis internis sat levia. Ceterum hic liber plane sapit Augustini stilum, disputandi formam, robur, eloquentiam, animi magnitudinem, amorem, zelum, sentiendi de Ecclesia nobilitatem, quae in ceteris ejusdem adversus donatistas libris admiramur. Accedit Possidii testimonium, qui in ll. Augustini indiculo meminit *Epistolae contra quos supra* (i. e. donatistas) *ad catholicos fra-*

stas, quod hic nonnisi ex sacrae Scripturae locis certis et claris definiendum, proferuntur primum testimonia ex instrumento vetere ac novo quam plurima, quibus ostenditur doceri evidenter ac certo, Ecclesiam Christi veram eam esse, quae toto terrarum orbe diffunditur. Deinde vero, quae pauca ex iisdem canonicis Scripturis objectari a schismaticis solent pro parte Donati, ea et ambigua incertaque esse, et per se ad eorum tuendam causam, cum ratione contraria explicari possint, nullum robur habere. Donatistarum etiam de traditione, de persecutione, aliaeque in catholicos calumniae data occasione refutantur.

Augustinus episcopus dilectissimis fratribus ad nostrae dispensationis curam pertinentibus salus, quae in Christo est, et pax unitatis et caritatis ejus sit vobiscum, et integer spiritus vester et anima et corpus in diem Domini nostri Jesu Christi servetur.

Caput I. 1. *Scriptionis occasio.* — Meministis, fratres, Petiliani donatistarum con-

---

tres, quibus clare hanc designare videtur epistolam: in concilio generali V. coll. 5. citantur verba c. 3. hunc in modum: *Ejusdem* (Augustini) *ex epistola ad catholicos.* Nec ulli unquam alteri haec epistola

stantiniensis episcopi perparvam epistolae partem in manus nostras aliquando venisse, eique particulae quod responderimus scripsisse me ad dilectionem vestram. Sed cum postea tota et plena nobis a fratribus, qui ibi sunt, mitteretur, placuit ei ab exordio respondere, tamquam praesentes ageremus: quemadmodum semper scitis nos cum eis agere voluisse, ut sine studio contentionis, quid vel ab ipsis vel a nobis dicatur, collata disputatione omnibus appareret. In multorum enim manibus illam epistolam esse didicimus, qui etiam multa ex illa memoriter tenent, aliquid verum adversus nos eum dixisse arbitrantes. Sed nunc si legere voluerint quae respondimus, profecto intelligent, quid sibi abjiciendum et quid tenendum sit. Neque enim illa nostra sunt, sicut ipsi possunt considerare, si velint sine studio partium judicare: nam de Scripturis sanctis ita sunt omnia prolata et probata, ut ea negare non possit, nisi qui illarum Scripturarum se inimicum esse profitetur. Sed de illo opere nostro video quid possint dicere illius tam malae causae per-

---

tributa fuit. Titulus autem *de unitate Ecclesiae* posteriori aetate adjectus fuit, nec is sat aptus est.

tinacissimi defensores: me videlicet absentis epistolae respondisse, ubi verba mea ille non audiret, quibus continuo responderet. Defendat ergo verba epistolae suae, et si potest ostendat, responsionibus meis non ea fuisse refutata atque convicta. Aut si hoc non vult, faciat et ipse huic epistolae meae, quod ego illi ipsius, cui jam respondi. Illam quippe scripsit ad suos, sicut ego hanc ad vos: cui si velit etiam ipse respondeat.

Caput II. 2. *Quaestionis argumentum.* — Quaestio certe inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos. Quae utique una est, quam majores nostri *Catholicam* nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim *καϑ' ὅλον* graece dicitur. Haec autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit: *Pro corpore ejus, quae est Ecclesia* (Coloss. 1, 24). Unde utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse. Membra vero Christi per unitatis caritatem sibi copulantur, et per eandem capiti suo cohaerent, quod est Christus Jesus. Totum igitur quod annunciatur de Christo, caput et corpus est: caput est ipse unigenitus Jesus Christus Filius Dei

vivi: *Ipse salvator corporis* (Ephes. 5, 23), *qui mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. 4, 25): corpus ejus Ecclesia, de qua dicitur: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi* (Ephes. 5, 27). Inter nos autem et donatistas quaestio est, ubi sit hoc corpus, id est, ubi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Jesu Christi? Puto quod in illius potius verbis eam quaerere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum. *Novit enim Dominus qui sunt ejus* (1. Tim. 2, 19).

3. *Ecclesiae causa quavis in hypothesi victrix.* — Quae sint autem verba nostra, in quibus eam quaeri non oportet, advertite, et videte etiam ibi, quid intersit inter nostra verba et illorum: et tamen in verbis nostris Ecclesiam quaeri nolumus. Quidquid nobis invicem objicimus, de traditione codicum divinorum, de thurificatione, de persecutionibus[1]), verba nostra sunt. Et in talibus qui-

---

1) *De traditione codicum:* hoc crimen in primis objiciebant catholicis, seu Felici, qui Caecilianum in

dem nos hunc tenemus modum, ut vel utraque vera esse deputentur, sive quae a nobis, sive quae ab ipsis dicuntur, vel utraque falsa, vel nostra vera et sua falsa, vel nostra falsa et sua vera. Et in his omnibus nullum crimen esse orbis christiani, cui nos communicamus, ostendimus. Si enim vera sunt crimina et quae a nobis in illos et quae ab ipsis in nos dicuntur, faciamus quod ait Apostolus: *Donantes nobismetipsis, sicut et Deus in Christo donavit nobis* (Ephes. 4, 32): ut

---

episcopum ordinaverat, donatistae (cf. Optatus de schismate donatistarum l. 1. n. 18. s. opusc. t. 10.), quibus tamen haud immerito non solum hoc crimen, sed et *thurificationis* crimen longe gravius exprobari poterat a catholicis (cf. infra n. 46. et Optatum ib. l. 1. n. 13. ss.). Postmodum cum catholici circumcellionum (cf. opusc. 8, 23.) furore cogerentur principum invocare auxilium, quo se tuerentur adversus illorum crudelissimas vexationes, donatistae incredibili impudentia eis *persecutionem* criminabantur (cf. Optatum l. 3. n. 1. ss.). Jam vero suadet Augustinus, ut haec modo sileantur, omnesque de eo sint solliciti, ut ex verbo Dei determinetur, ubi sit Ecclesia Christi. Ceterum advertit ingens esse discrimen inter catholicorum et donatistarum verba (quibus scil. utrique causam suam tuebantur), quod catholici in quacunque ex illis quatuor quas distinguit hypothesibus vincerent et donatistae causa caderent.

maligni homines, nec illi qui forte fuerunt vel sunt apud nos, nec qui vel fuerunt vel sunt apud illos, impediant concordiam nostram et vinculum pacis, uno eorum scelere correcto, quod se frustra separaverunt ab unitate orbis terrarum, cum tales haberent[1]). Si autem utraque falsa sunt, sive quae nos illis, sive quae illi nobis objiciunt vel de traditione, vel de persecutione innocentium; nullam video litis causam, nisi quia est causa, ut illi se corrigant, qui se sine causa separaverunt. Quod si nos vera dicimus, quoniam gesta, quae proferimus, et literis imperatoris, ad quem tunc et primo scripserunt et postmodum appellaverunt, et totius orbis communione firmamus; quae autem

---

1) *Cum tales haberent* etiam ipsi donatistae. Donatistae deserebant Ecclesiam catholicam, quod contenderent, in ea esse traditores (qui scil. tradidissent tempore persecutionis libros sacros hostibus Ecclesiae), ne eorum polluerentur communione: nam secundum ipsorum commentum justi et innocentes polluuntur absque ulla consensione in peccatum sola communione cum peccatoribus. Si ergo vera etiam sunt crimina a catholicis objecta donatistis, etiam apud ipsos sunt peccatores; hinc non amplius subsistit praetextus se propter peccatores separandi ab Ecclesia catholica, quos ipsi in suo coetu tolerabant et quibuscum communione jungebantur.

illi dicunt, ideo falsa esse convincuntur, quia ipsis temporibus, cum eādem quaestio versaretur, obtinere causam suam minime potuerunt: major in eis apparet sacrilegae animositatis furor et animarum innocentium persecutio, quam si solo schismatis crimine tenerentur[1]). Et illa quidem tribuant non omnibus, sed quibus voluerint suorum, schisma tamen crimen est omnium. Porro si crimina traditionis et persecutionis vera volunt esse quae objiciunt, et falsa quae objiciuntur a nobis, nec sic purgantur a crimine schismatis. Ad quosdam quippe illa pertinere possunt, non ad universum orbem christianum. Quem si contagione perisse arbitrantur, omitto dicere, quam multa sancti bono pacis etiam cognita mala in hominum congregatione toleraverint: illud dico, isti ostendant, quomodo eorum contagione non perierint, quos sacrilegos incestátores consecratae pudicitiae feminarum inter se latere vel latuisse, vel modo nesciunt, vel aliquando nescierunt. Profecto dicturi sunt, hoc ipso se non contaminatos quod nescierunt.

1) Cf. documenta quibus haec probantur, apud Optatum de schismate donatistarum l. 1. opusc. t. 10.

Quomodo ergo contaminatus est orbis, qui nescit adhuc[1]), an vera sint ista quae dicuntur? Putemus nobis modo probata, modo demonstrata: quid agimus de tot gentibus? Deseruntur nescientes, ergo deseruntur innocentes: et cum illud sit nullum crimen illorum[2]), hoc esse incipit sceleratissimum nostrum. An currere debemus, et eos docere quod scimus? Ut quid hoc? Si ut innocentes sint: innocentes sunt etiam dum nesciunt. Non enim malefacta hominum cognoscendo, sed cognitis non consentiendo, de incognitis autem non temere judicando, innocentiam custodimus. Ac per hoc, ut dixi, innocens est orbis terrarum, qui crimina, quae ab istis in quosdam dicuntur, etiam si vera dicuntur, ignorat. Ab his autem innocentibus, qui se ipsos separaverunt, eodem ipso crimine separationis et schismatis innocentiam perdiderunt: et modo nos docent, vera se dicere

---

1) *Adhuc*, nam donatistae nondum poterant coram judicibus haec crimina, quae objiciebant ordinatoribus Caeciliani, probare: fideles autem tenebantur magis judicibus credere, quam accusatoribus, qui crimina objecta probare non poterant.

2) *Cum illud sit nullum crimen* scil. nescire alicujus crimen.

in quosdam, ut ab eis[1]) nos separent, in quos non habent vera, quae dicant.

4. *Ecclesiae causa quam invicta.* — Hoc enim eis dicit orbis terrarum, quod quidem sermone brevissimum est, sed robustissimum veritate. Afri nempe inter se episcopi confligebant: si finire inter se obortam dissensionem non poterant, ut sive per concordiam compositis, sive degradatis qui male contenderent, hi qui bonam causam habebant in communione orbis terrarum per unitatis vinculum permanerent; restabat utique ut episcopi transmarini, qua pars maxima diffundebatur Ecclesiae catholicae, de afrorum collegarum dissensionibus judicarent, illis videlicet instantibus, qui crimen malae ordinationis[2]) aliis objiciebant. Hoc si factum non est, culpa eorum est, a quibus fieri debuit, non orbis terrarum, qui non ad se perlata nescivit. Si autem factum est,

---

1) *Ab eis*, ab innocentibus, ab orbe terrarum, qui crimina aliquibus in Africa objecta ignorat.

2) *Malae ordinationis.* Malam ordinationem objiciebant donatistae Caeciliano episcopo catholico carthaginiensi, quod scil. a Felice apungitano, quem traditorem (librorum sacrorum tempore persecutionis) fuisse calumniabantur, esset in episcopum ordinatus.

quid peccaverunt ecclesiastici judices, qui crimina etiamsi vera et ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? Numquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? Si autem manifestati sunt eis, et aliqua vel segnitia vel conniventia tales a communione removere noluerunt, et perverso judicio pro eis etiam dixerunt sententias: quid peccavit orbis terrarum, qui causam illam malos judices habuisse nescivit, et eos male judicasse non credidit, de quibus judicare non potuit? Sicut enim reorum scelus, si judices latuit, non eos utique contaminavit: sic et judicum scelus, si aliquod fuit, quia orbem terrarum latuit, eum profecto contaminare non potuit. His igitur innocentibus innocenter communicamus, hodieque nescientes quae tunc acta sint. Quapropter etiamsi vera esse quae in quosdam dicunt, hodie didicerimus, nulla causa est cur ab innocentibus, qui haec nesciunt, recedamus et transeamus ad eos, qui propterea crimine schismatis omnes implicati sunt, quia id fecerunt, quod nos facere suadent, ut non exemplo apostolorum toleremus malos, sed exemplo haereticorum deseramus bonos. Sed faciamus orbem terrarum, (quod fieri non potest), hodie nobiscum ad liquidum

posse cognoscere vera esse quorundam scelera, quos isti criminantur: numquid ex hoc innocentior[1]) fieri poterit, quam erat antequam nosset? Sicut enim eos màculare non poterant incogniti mali, etiamsi adhuc in hac vita essent; ita qui jam ex hac vita emigrarunt, etiam cogniti maculare non possunt. Si ergo talis est causa nostra in verbis nostris de quorundam criminibus, quae alternis nobis objicimus, ut tam invicta sit, etiamsi falsa esse quae in quosdam illorum dicimus, et vera esse quae in quosdam nostrum dicunt, hodie cognoscamus, quid habent quod respondeant; sive illa potius vera sint quae nos dicimus, et falsa quae dicunt, sive utraque falsa sint, sive utraque vera sint; quandoquidem et ipsi vincuntur ibi, quod solum votis omnibus sibi ut credatur exoptant?

Caput III. 5. *Ex Scripturis quaestio est dirimenda.* — Sed ut dicere cooperam, non audiamus, *haec dicis*, *haec dico:* sed audiamus: *Haec dicit Dominus.* Sunt certe libri

---

1) *Innocentior*, contextus videtur exigere ut legatur *nocentior* i. e. magis reus, ut sit sensus: Numquid propter hanc cognitionem magis maculabitur, quam antea quum haec crimina ignoravit? quod dein negat. — *Eos* i. e. fideles, orbem christianum.

dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique cedimus, utrique servimus: ibi quaeramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Hic forte dicturi sunt: quid quaeris in libris, quos ignibus tradidisti[1]? Ad hoc respondeo: Quid times ne legantur isti libri, si eos ab ignibus custodistis? Eos certe ille tradidisse credatur, qui eis lectis non consentire convincitur. Aut si forte isti libri ita designant traditorem suum, sicut designavit Dominus Judam: legant in eis nominatim et expresse vel Caecilianum vel ordinatores ejus eorundem librorum futuros fuisse traditores, et si non eos anathematizavero, ipse cum eis judicer tradidisse. Sed neque nos in eis libris invenimus Majorini[2]) ordinatores designatos esse traditores, quamvis haec aliunde recitemus. Auferantur ergo illa de medio, quae

---

1) *Ignibus tradidisti* tempore scil. persecutionis: hoc enim exprobrabant donatistae catholicis, sed falso et per calumniam. *Ab ignibus custodistis* hoc interim Augustinus eis concedit, quamvis ipsi potius essent traditores. Cf. Optatum de schismate donat. l. 1. n. 13.

2) *Majorini.* Hunc schismatica factio Caeciliano canonice electo opposuerunt et in episcopum carthaginiensem ordinarunt. Cf. Optatum l. 1. n. 15.

adversus nos invicem, non ex divinis canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quod si nolint ut auferantur, videant, quia et si utraque vera sunt, nulla fuit causa separationis illorum, ut eos fugerent quos habebant[1]): et si utraque falsa sunt, nulla fuit causa separationis illorum, ut eos fugerent, quos in nullo crimine reperiebant: et si nostra vera, illorum autem falsa sunt; nulla fuit causa separationis illorum, quia potius se corrigere atque in unitate permanere debebant: et si nostra falsa sunt et illorum vera sunt, nulla fuit causa separationis illorum, quia innocentem orbem terrarum, cui haec demonstrare vel noluerunt vel non potuerunt, deserere non debebant.

6. *Status quaestionis.* — Quaerat fortasse aliquis, et dicat mihi: Cur ergo ista vis auferri de medio, quando communio tuo, etiamsi proferantur, invicta est? Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Si enim sanctae Scripturae in Africa sola designaverunt Ecclesiam, et in paucis Romae Cutzupitanis vel Montensibus[2]), et in domo vel patrimo-

---

1) *Quos habebant*, quibuscum in una antea Ecclesia vivebant.

2) Ita vocabantur donatistae, qui Romae commo-

nio unius hispanae mulieris; quidquid de chartis aliis aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi donatistae. Si in paucis mauris provinciae caesariensis eam sancta Scriptura determinat, ad rogatistas transeundum est. Si in paucis tripolitanis et byzacenis et provincialibus, maximianistae ad eam pervenerunt. Si in solis orientalibus, inter arianos et eunomianos et macedonianos, et si qui illic alii sunt, requirenda est. Quis autem possit singulas quasque haereses enumerare gentium singularum? Si autem Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum divinis et certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est, quicquid attulerint, et undecumque recitaverint qui dicunt: *Ecce hic est Christus, ecce illic* (Matth. 24, 23): audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri dicentis: *Nolite credere.* Illae

---

rabantur. — *Hispanae mulieris* i. e. Lucillae, feminae potentis et factiosae. Cf. Optatum l. 1. n. 16. De *maximianistis*, quae erat una ex potioribus donatistarum factionibus, in quas divisi erant, cf. annot. opusc. 8, 20. Minor erat factio *rogatistarum*, qui Rogatum quendam partis donatianae ducem sequebantur. *In provincialibus*, si Ecclesia est tantum apud incolas unius alteriusve provinciae vel apud provinciales, quatenus hi opponuntur incolis urbis principis et metropolis, ea erit apud rogatistas.

quippe singulae in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur: haec autem, quae ubique est, etiam ubi illae sunt invenitur[1]). Ergo in Scripturis sanctis canonicis eam requiramus.

Caput IV. 7. *Quinam sint in Ecclesia.* — Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei Filius et corpus ejus Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una (Ephes. 5, 23, 30). Quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiae non communicant, non sunt in Ecclesia; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Verbi gratia, qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, quod apertissime Scriptura Dei loquitur: aut non in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus et sepultus est: etiam si

---

1) Quae hic paucis innuit s. doctor de Ecclesiae catholicitate, deque haereticis, qui provinciam tantum aliquam occupant, pulcherrime exponit aptaque similitudine illustrat serm. 46. al. 165. de tempore. Cf. annot. opusc. 6, 40. s.

per omnes terras inveniantur, per quas est Ecclesia, non sunt in Ecclesia: quia ipsum caput Ecclesiae non tenent, quod est Christus Jesus; nec in aliqua divinarum Scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis et apertissimis earum testimoniis contradicunt. Item quicunque credunt quidem, quod Christus Jesus, ita ut dictum est, in carne venerit, et in eadem carne, in qua natus et passus est, resurrexerit, et ipse sit Filius Dei, Deus apud Deum, et cum Patre unum, et incommutabile Verbum Patris, per quod facta sunt omnia; et tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur; manifestum est, eos non esse in catholica Ecclesia. Quapropter quia cum donatistis quaestio nobis est, non de capite, sed de corpore, id est, non de ipso Salvatore Jesu Christo, sed de ejus Ecclesia, ipsum caput de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire desinamus. Ille est autem unigenitus Filius et Verbum Dei; et ideo nec prophetae sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa veritate, quod est Verbum Dei,

manifestaretur eis quod dicerent, et juberetur ut dicerent. Proinde prioribus temporibus per prophetas sonuit Verbum Dei: deinde per se ipsum, cum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14): deinde per apostolos, quos misit ad se praedicandum, ut esset salus usque ad fines terrae. In his igitur omnibus quaerenda est Ecclesia.

Caput V. 8. *Quibus testimoniis in hac disputatione utendum.* — Sed quoniam multa in alios vel ob aliud dicta, in quos volunt et ad quos volunt maledici plerumque convertunt, multa etiam propter exercendas rationales mentes figurate atque obscure posita per aenigmatis imagines vel ambiguitatis ancipitem sensum fallaci aliquando interpretationi consonare et convenire creduntur, hoc etiam praedico atque propono, ut quaeque aperta et manifesta deligamus. Quae si in sanctis Scripturis non invenirentur, nullo modo esset unde aperirentur clausa et illustrarentur obscura. Verbi enim gratia, videte quam facile sit vel nobis in eos dicere, vel illis in nos, quod ait Dominus pharisaeis: *Similes estis monumentis dealbatis, quae aforis apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossi-*

bus mortuorum et omni spurcitia: sic et vos a foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate (Matth. 23, 27). Haec sive in illos a nobis, sive ab eis in nos dicantur, nisi prius probetur manifestissimis documentis qui sint, qui cum sint injusti, justos se esse confingant, conviciante magis levitate quam convincente veritate dici, quis mediocriter sanus ignoret? Aliter quippe illa Dominus in pharisaeos dicebat tamquam Dominus, id est, cognitor cordis et humanorum omnium secretorum et testis et judex: nos autem prius debemus invenire et ostendere quid arguamus, ne ipsi potius gravissimo crimine insanae temeritatis arguamur. Sane si ante docuerint nos tales esse, nequaquam recusare debemus talibus sanctarum Scripturarum verbis nos reprehendi atque contundi. Ita si nos eos tales esse docuerimus, erit similiter in potestate nostra, quibus dominicis increpationibus jam demonstratos convictosque feriamus.

9. *Testimoniis claris utendum.* — Sic et illa interim seponenda sunt, quae obscure posita et figurarum velaminibus involuta, et secundum nos et secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorum hominum

dijudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur: sed nolumus in has ingeniorum contentiones, in ea causa, quae populos tenet, nostram disputationem committere. Nulli nostrum dubium est, per arcam Noë, salva rerum gestarum fide, ut deletis peccatoribus domus justi a diluvio liberaretur, etiam Ecclesiam fuisse figuratam [1]).

---

1) Hoc innumeris patrum testimoniis ostendimus in dissert. *de arca Noe Ecclesiae typo* opusc. 3, 217. ss., quibus haud pauca alia addere possemus, tot enim comparationis capita repererunt patres, ut Hieronymus dial. adv. luciferanos n. 22. dicat: „Dies me deficiet, si omnia arcae sacramenta cum Ecclesia componens edisseram.“ Unum audiamus adhuc Cassiodorum praef. in psalterii exposit. c. 17., cum ejus verba pulcherrimam contineant Ecclesiae, de qua in hoc opusculo sumus solliciti, descriptionem. „O vere sancta, ita illam alloquitur, o immaculata, o perfecta mater Ecclesia, quae divina largiente gratia sola vivificas, sola sanctificas, et perditum propriis culpis institutione tua humanum genus instauras: cujus piae confessioni nihil addi, nihil minui potest. Per omnes quippe psalmos, per omnia cantica praeconia s. Trinitatis interseris, ut cujus sunt sacrata verba, quae loquimur, eis laus semper et gloria dulcissima redderetur. Quae salum seculi hujus et haereticorum saevissimas procellas in arcae illius Noë similitudine, quae tuam evidenter portavit imaginem, sola inoffenso fidei cursu sine periculo diluvii constanter enavigas; nec ullis erroribus acquiescis,

Quae forte humani ingenii conjectura videretur, nisi hoc Petrus apostolus in epistola sua diceret (1. Petr. 3, 20). Sed quod ille ibi non dixit, si quis nostrum dicat, propterea cuncta animalium genera ibi fuisse, quia in omnibus gentibus futura praenunciabatur Ecclesia, fortasse donatistis aliud videatur, et aliter hoc interpretari velint. Similiter et ipsi aliquid obscure et ambigue positum, si pro sua sententia interpretentur, si nobis pateat (*Forte* placeat) aliud inde dicere, quod pro nobis sonat, quis erit finis? Nam quidam eorum episcopus, cum hic apud Hipponem, sicut audivimus, sermonem in populo faceret, dixit, eandem arcam Noë ideo bituminatam intrinsecus, ne aquam emitteret suam; ideo autem etiam extrinsecus, ne admitteret alienam. Ad hoc utique valere voluit hanc interpretationem, ne baptismus vel extra Ecclesiam posse exire credatur, vel qui extra datus fuerit, acceptetur. Visus est aliquid dicere, et acclamatum est ab eis, qui libenter audiebant, nec diligenter de his,

---

quamvis adhuc inter pravitates hujus seculi gravissima necessitate verseris. Quidquid enim reperitur praeter vitale gremium tuum, mortiferum constat esse naufragium etc.‹

quae audierant cogitabant, ut quod erat facile, adverterent fieri non posse, ut extrinsecus admittat aquam compago lignorum, si non emittit intrinsecus: si autem ab ea parte, quae intus est emittit, consequens esse, ut ab ea etiam parte quae est foris admittat. Sed et si hoc de compacto ligno verum esset quod ille dixit, quis me prohiberet de arca ex utraque parte bituminata, si possem aliquid aliud dicere, ut incertum esset, quid horum, vel quid fortasse aliud tertium res illa significaret? Neque enim absurde dicitur, aut non etiam multo probabilius, per bitumen, quia violentum gluten et res ferventissima est, significatam esse caritatem. Unde enim dicitur in Psalmo: *Agglutinata est anima mea post te* (Psal. 62, 9), nisi flagrantissima caritate? Quae quoniam praeceptum est, ut sit nobis in invicem et in omnes, ideo et intus et foris arca bituminata. Aut certe quia scriptum est: *Caritas omnia tolerat* (1. Cor. 13, 7): vis ipsa tolerantiae tenax unitatis per bitumen significata est, quo ideo intus et foris arca illità est, quia intus et foris mali tolerandi sunt, ne pacis compago solvatur. In hac ergo disputatione nostra parcamus tālibus interpretationibus, et

apertum aliquid quo manifestetur Ecclesia requiramus.

10. *Signum Gedeoni in vellere datum.* — Nempe scriptum est in libro Judicum: *Et dixit Gedeon ad Dominum: Quoniam tu salvum facies Israel in manu mea, quemadmodum locutus es; ecce ego pono vellus lanae in area, et si factus fuerit ros in vellere, in omnem vero terram siccitas, sciam quoniam salvum facis in manu mea Israel, sicut locutus es. Et factum est sic: et diluculo vigilavit Gedeon in crastinum, et expressit vellus: et decucurrit ros de vellere plena pelvis aquae. Et dixit Gedeon ad Dominum: Non irascatur furor tuus in me, Domine, et loquar adhuc semel et tentabo adhuc semel in vellere. Fiat siccitas in vellere tantum, in omnem autem terram fiat ros. Et fecit Deus sic in nocte illa, et facta est siccitas in vellere tantum, super omnem autem terram ros* (Judic. 6, 36—40). Non video quid hic aliud figuratum et praenunciatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarum, locum autem velleris populum Israel. Novimus enim illam quondam gentem divini sacramenti gratia tamquam coelesti rore perfusam; cujus muneris per omnes in circuitu gentes,

quia eo carebant, tamquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id est, in velamine et quasi in nube secreti, quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum jam revelato rore saginari per Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod tunc in illo tegmine figurabatur: illam vero gentem amisso sacerdotio quod habebat, quia in Scripturis non intelligit Christum, tamquam in sicco vellere remansisse. Nec in talibus tamen rerum figuris, quamvis non videam, quid hic aliud possit intelligi, volo quaeramus Ecclesiam. Prorsus quae alicujus vel talis interpretationis indigent, interim seponamus: non quia falsa sunt, quae hoc modo de talibus tamquam involucris interpretando solvuntur, sed quia vel interpretem quaerunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur; sed aperta veritas clamet, luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat; nemo in eis latebris quaerat falsae suae sententiae locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat.

Caput VI. 11. *Promissio Abrahae facta.* — O donatistae, Genesim legite. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: propter*

quod fecisti verbum hoc, et non pepercisti filio tuo amantissimo propter me, nisi benedicens benedicam te, et implendo implebo semen tuum tamquam stellas coeli et tamquam arenam, quae secus oram maris est, et hereditate possidebit semen tuum civitates adversariorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obaudisti vocem meam (Gen. 22, 16—18). Quid ad haec dicitis? An judaeorum nobiscum perversitate contenditis, ut dicatis in solo populo nato ex carne Abrahae intelligendum semen Abrahae? Sed judaei Paulum apostolum non legunt in synagogis suis, quem vos legitis in conventiculis vestris: Quid ergo dicat Apostolus, audiamus. Quaeimus enim jam, quemadmodum intelligendum sit semen Abrahae. *Fratres*, inquit, *secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus. Non dicit: et seminibus, tamquam in multis; sed tamquam in uno: et semini tuo, quod est Christus* (Gal. 3, 15—17). Ecce in quo semine benedicuntur omnes gentes. Ecce testamentum Dei: aperite aures. *Hominis*, inquit, *confirmatum testamentum nemo ir-*

ritum facit, aut superordinat. Quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse completum et periisse jam de gentibus, in quibus erat semen Abrahae? Quare superordinatis dicendo, in nullis terris heredem permanere Christum, nisi ubi potuit coheredem habere Donatum? Non invidemus alicui: legite nobis hoc de lege, de prophetis, de psalmis, de ipso Evangelio, de apostolicis literis, legite et credimus; sicut nos vobis legimus et de Genesi (Gen. 22, 18) et de Apostolo, quia in semine Abrahae, quod est Christus, benedicuntur omnes gentes.

12. *Promissio Isaac facta.* — Audite hoc idem testamentum ad Isaac etiam filium Abrahae. *Facta est autem fames super terram praeter famem, quae ante facta est in tempore Abrahae. Abiit autem Isaac ad Abimelech regem philistinorum in Gerara: et apparuit illi Dominus et dixit: Noli descendere in Aegyptum; habita autem in terra, quam tibi dixero, et habita in terra hac, et ero tecum, et benedicam te. Tibi enim et semini tuo dabo omnem terram hanc: et statuam jusjurandum tecum, quod juravi Abraham patri tuo: et ampliabo semen tuum tamquam stellas coeli; et dabo*

tibi et semini tuo omnem terram hanc: et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae pro his, quae obaudivit Abraham pater tuus vocem meam, et servavit praecepta mea, et justitias meas, et legitima mea (Gen. 26, 1—5). Respondete ad ista. Semen quippe Abraham, hoc idem semen est et Isaac, quod est Christus. Quomodo enim venerit Christus ex tribu Juda in carne per virginem, quis quoquo modo christianus ignorat.

13. *Promissio Jacobo facta.* Audite hoc idem testamentum ad Jacob. *Et exiit Jacob a puteo jurationis, et profectus est in Charram, et devenit in locum, et dormivit in loco illo, quoniam solis occasus erat: et sumpsit lapidem ex lapidibus loci, et posuit ad caput suum, et dormivit in loco illo. Et visum vidit, et ecce scala stabilita super terram, cujus caput pertingebat ad coelum, et angeli Dei ascendebant et descendebant per illam: et Dominus incumbebat super illam, et dixit: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac: Noli timere: terram, in qua tu dormis super eam, tibi dabo eam et semini tuo. Et erit semen tuum sicut arena terrae, et multiplicabitur supra mare, et in*

Africum, et in Aquilonem, et ad Orientem. Et benedicentur in te omnes tribus terrae et in semine tuo. Et ecce ego sum tecum custodiens te in omni via quacumque ibis, et reducam te in terram hanc: quia non te derelinquam, donec faciam omnia, quae tecum locutus sum (Id. 28, 10—15). Ecce cui promissioni resistitis, ecce quam firmum testamentum irritum facitis. Dicit Deus: *Non te derelinquam, donec faciam omnia, quae tecum locutus sum*: et vos contradicitis dicentes, ut vobis potius credamus quidquid criminis objicitis ignoto et ignaro orbi terrarum; Deo autem dicenti: *Non derelinquam donec faciam*, non credamus.

14. *Quam clara haec testimonia.* — Legite nobis de Scripturis canonicis eos tradidisse divinos codices, quos nominatim accusatis. Legite tam aperta, quam sunt ista, quae vobis de Genesi legimus. Non a vobis quaerimus, quid lápis ille significet, quem Jacob sibi ad caput posuit cum dormiret; quid scala stabilita super terram, cujus caput pertingebat ad coelum; quid angeli Dei ascendentes et descendentes per illam. Requirant ista prudentiores atque doctiores, et in populo pacato eloquantur, ubi

non obstrepat improba contradictio, de obscuritate sacramenti et aenigmate lectionis armans impudentiam suam. Non desunt corda fidelium, quae commemoret Dominus ex Evangelio, ubi ait, cum vidisset israelitam, in quo dolus non erat, quia Jacob, qui has vidit scalas, ipse dictus est Israël (Gen. 28, 12): non desunt ergo, quos inde ipse commemoret Dominus: ibi quippe ait: *Videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (Joan. 1, 51), id est, super semen Abrahae, in quo benedicuntur omnes gentes. Sed haec non inculco recusantibus. Ecce quod âudite: *Erit semen tuum sicut arena terrae, et multiplicabitur supra mare, et in Africum, et in Aquilonem, et in Orientem: et benedicentur in te omnes tribus terrae, et in semine tuo* (Gen. 28, 14). Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est: ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici. Date hanc, aut furore deposito accipite, non a me, sed ab illo ipso, in quo benedicuntur omnes gentes. Haec de primo Legis libro commemorasse suffecerit: plura innotescent sine impia contentione et cum pia dilectione legentibus.

Caput VII. 15. *Vaticinia Isaiae de Ecclesiae catholicitate.* — Quid in prophetis, quam multa et quam manifesta sunt testimonia Ecclesiae per omnes gentes toto terrarum orbe diffusae? Unde pauca commemorabo, plura relinquens otio diligentiae cum Dei timore legentibus. Accipiamus per os Isaïae sancti divina responsa, et ejus ora tamquam Dei oracula sciscitemur. Sileant humanarum contentionum animosa et perniciosa certamina: inclinemus aurem verbo Dei. Dicat Isaïas, ubi Ecclesiam sanctam Deo revelante praeviderit, ut in verbis futura dicentis jam nunc praesentia videamus. *Repleta est*, inquit, *universa terra ut cognoscat Dominum, ut aqua multa operiat mare. Et erit in illa die radix Jesse, et qui exsurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt* (Isai. 11, 9 et 10). Radicem Jesse Christum esse ex semine David secundum carnem natum, nullus quoquo modo christianus ignorat: etsi contentiosus est, cum Apostolo contendat (Rom. 15, 12), qui hoc testimonio in literis suis utitur. Item dicit: *Germinabit et florescet Israël, et replebitur orbis terrarum fructu ejus* (Isai. 27, 6). Israël nempe filius fuit Isaac, nepos Abraham, cui promissum est, quod in

semine ejus benedicerentur omnes gentes (Gen. 22, 18): quod semen Christum interpretatur Apostolus. Venit autem Christus ex semine Abraham per Isaac et per Israël et deinceps, sicut generationes ad ortum Christi pertinentes Evangelista contexit (Matth. 1). Qui ergo vult contra disputare, contradicat Evangelio, neget ex semine Israël venisse Christum, ut possit negare, quod Isaïas dicit: *Germinabit et florescet Israël, et replebitur orbis terrarum fructu ejus.* Item dicit: *Ego Deus primus, et in his quae advenient ego sum. Viderunt gentes, et timuerunt fines terrae* (Isai. 41, 4). Hoc est quod àlibi Scriptura dixit: *Primus et novissimus* (Apoc. 22, 13), *ut sit α et ω, quae sunt literae in signo Christi omnibus notae.* Pro eo enim, quod ibi est *novissimus*, hic positum est, *et in his quae advenient ego sum.* Huic ergo manifestationi contradicunt, qui nolunt credere, imo qui nolunt jam videre compleri quod sequitur: *Viderunt gentes, et timuerunt fines terrae.* Item paulo post: *Jacob puer meus, suscipiam illum; Israël electus, suscepit eum anima mea. Dedi Spiritum meum in illum: judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque cessabit, neque audietur foris*

vox ejus. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, sed cum veritate proferet judicium. Refulgebit, et non confringetur, donec ponat in terra judicium: et in nomine ejus gentes sperabunt (Isai. 42, 1). Hoc testimonium de Christo intelligendum, et in Evangelio positum est. Qui audet, contradicat: qui autem non audet, speret in eum cum gentibus, et ab unitate gentium in eum sperantium non recedat; aut si recesserat, redeat, ne pereat.

16. *Alia ejusdem prophetae vaticinia.* — Item dicit Isaïas: *Et nunc sic dicit Dominus: Qui finxit me in utero servum sibi, ut congregem Jacob et Israël ad eum, appropinquabo illum, et honorabor coram Domino, et Deus meus erit mihi virtus. Et dixit mihi: Maximum tibi erit hoc, vocari te puerum meum, ut constituas tribus Jacob, et prolem Israël convertas. Et posui te in testamentum generis in lucem gentium, ut sis salus usque ad fines terrae.* Et paulo post: *Sic dicit*, inquit, *Dominus Israël: Tempore aptissimo exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (Id. 49, 5). Certe ista verba cum commemorasset apostolus Paulus, non nisi in christianis ostendit impleri. Con-

nexuit enim dicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (2. Cor. 6, 2). Audiamus ergo quid Isaïas adjungat: *Dedi te*, inquit, *in testamentum gentium, ut incolas terram, et possideas hereditatem deserti* (Isai. 49, 6). Et interpositis deinde connectit, et dicit: *Ecce isti a longinquo venient; hi autem ab Aquilone et mari; alii autem ex terra persarum. Exsulta coelum, et in laetitia esto terra: emittant montes jucunditatem, quoniam misertus est Deus populi sui, et humiles populi sui allocutus est. Dixit autem Sion: Dereliquit me Dominus, et Deus oblitus est mei. Numquid capiet oblivio mulierem filii sui, vel potest fieri ut non misereatur foetus uteri sui? Nunc ecce etsi illam oblivio habebit, me tamen tui nullo modo oblivio capiet, dicit Dominus. Ecce super manus meas descripsi tuos muros, in conspectu etiam meo es in perpetuum, et brevi aedificaberis ab his, a quibus eversa es.* Cum igitur per apostolicam vocem non sinamur hoc de populo judaeorum, sed de christianorum intelligere, quid intellecturi sumus in eo, quod ait hoc loco Isaïas: *Et brevi aedificaberis ab his, a quibus eversa es:* nisi reges terrae, qui primo persequebantur Ecclesiam,

post adjuturos eam tanto ante praedictum? Sed quia multi eorum in suis iniquitatibus morituri erant, adjungit et dicit: *Et qui desolaverunt te, discedent a te.* Deinde quia omnes gentes adjungerentur Ecclesiae, sequitur et dicit: *Circumspice ubique oculis tuis, et vide universos. Vivo ego, dicit Dominus: omnes hos indues te, et dispones eos ut ornamentum novae nuptae: quoniam quae deserta fuerunt in te, et corrupta et delapsa, nunc in maxima arctura erunt per eos, qui commorantur istic: longe a te efficiantur, qui te transvorabant. Dicent enim in aures tuas filii tui quos amiseras: Angustia nobis est in isto loco, facito itaque nobis etiam nunc locum, in quo commoremur. Tu vero dices in corde tuo: Quis generavit mihi istos, cum sciam esse me sine filiis et viduam? Quis ergo istos educavit mihi? Ego enim derelicta fui sola, hi autem mihi ubi erant? Sic dicit Dominus: Ecce tollam in nationes manus meas, et in insulas signum meum, et adducam filios tuos in sinu, filias etiam tuas super humeros portabunt: et erunt reges educatores vestri; quae autem principales sunt, nutrices vestrae, super terram declinantes faciem deprecabuntur te, et vestigia pedum*

tuorum elingent; et scies quoniam ego Dominus, nec erubesces (Isai. 49, 18). Et paulo post adjungit et dicit: *Audite me, audite populus meus, reges quoque intendite mihi; quoniam lex a me prodiet, et judicium meum in lucem gentibus. Appropinquat mature justitia mea, et salutare meum proficiscetur, et in brachio meo gentes salvantur* (Id. 51, 4). De hoc brachio Scripturas apostolicas consulamus. Cum enim apostolus Paulus de judaeorum infidelitate ejusdem prophetae testimonium posuisset, quod eis Christus non fuerit revelatus, hoc posuit: *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est* (Rom. 10, 16.; Isai. 53, 1). Deinde in consequentibus adjungit Isaïas et dicit: *Erumpant laetitia simul deserta Jerusalem, quoniam misertus est ejus, et eruit Jerusalem, et patefaciet Dominus brachium suum sanctum in conspectu universarum gentium, et videbunt omnes nationes usque ad ultima terrae salutem, quae a Deo est* (Id. 52, 9). Quis tam surdus, quis tam demens, quis tam mente coecus, ut his tam evidentibus testimoniis obloquatur?

17. *Manifestiora ejusdem oracula.* — Sed ad manifestiora veniamus. Certe sacra-

tissimas nuptias in Scripturis novimus; sponsum et sponsam, Christum et Ecclesiam. Utrumque describit Isaïas, ne forte in eorum aliquo erremus, quod cui acciderit, utrumque amittit. Quia de hoc conjugio in sacramento dictum est, sicut testatur Apostolus: *Erunt duo in carne una* (Ephes. 5, 31). Sic ergo prior ipse describitur post multa, quae de illo ita dicit Isaïas, ut et ipsi obmutescant judaei; ne longum sit omnia memorare, hoc paululum advertite. *Et peccata*, inquit, *eorum ipse portabit, ideo hereditate possidebit multos, et fortium partietur spolia, propter quod tradita est in mortem anima ejus, et inter iniquos deputatus est, et ipse peccata multorum sustinuit, et propter iniquitates nostras traditus est* (Isai. 53, 11, 12). Haec de Domino nostro Jesu Christo tanto ante praedicta et prophetata fatemini. Hic ergo sponsus ut quid traditus est ad mortem? ut quid inter iniquos deputatus est tanta humilitate celsitudinis suae? Quid egit, quid acquisivit? Quis ita surdus est, ut haec non audiat? quis ita obtusus, ut non intelligat? quis ita coecus, ut non videat: *Ideo*, inquit, *ipse hereditate possidebit multos, et fortium partietur spolia, propter quod tradita est*

in mortem anima ejus et inter iniquos deputatus est. Quid est, haeretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea Dominus Jesus Christus traditus est ad mortem, ut hereditate multos possideret? Et qui sunt hi multi, vel quam late occupant terram, quae sequuntur audiamus.

18. *Ejus de Ecclesia praedictiones.* — Praenunciato sponso et expresso, procedat et sponsa in verbis Isaïae: legamus eam in veritate paginarum sanctarum, et agnoscamus in orbe terrarum. Hoc testimonium de sancta Ecclesia praedictum etiam Paulus apostolus posuit. Non est quo fugiat contentiosa tergiversatio haereticorum (Gal. 4, 27). *Laetare sterilis*, inquit, *quae non paris, erumpe et exclama quae non parturis; quoniam multi filii desertae magis, quam ejus quae habet virum* (Isai. 54, 1). Ubi est, inquam, quod de paucitate gloriamini? Nonne isti sunt multi, de quibus paulo ante dictum est: *Ideo ipse hereditate possidebit multos?* Nam quae est hereditas ejus, nisi Ecclesia ejus? *Multi*, inquit, *filii desertae magis, quam ejus quae habet virum*: Synagogam scilicet judaeorum volens intelligi virum habentem, quoniam acceperat legem. Hinc jam potest dijudicari quod dicimus.

Comparent isti multitudinem suam in afris vel in Africa constitutam, cum multitudine judaeorum per omnes terras quacumque dispersi sunt, et videant quam sint in illorum comparatione paucissimi. Quomodo ergo de se dictum assignabunt: *Multi filii desertae magis, quam ejus quae habet virum?* Rursus comparent multitudinem christianorum per omnes gentes, quibus non communicant, et videant quam pauci sint in comparatione omnes judaei; et tandem aliquando intelligant, in Ecclesia catholica toto orbe diffusa istam prophetiam esse completam: *Multi filii desertae magis, quam ejus quae habet virum.* Sed cui habenti virum haec deserta praelata fuerit in multitudine filiorum, sit obscurum, sit in aenigmate: hanc tamen esse Ecclesiam Christi, de qua dictum est: *Multi filii desertae magis, quam ejus quae habet virum*, quisquis contradicit, non mihi, sed Apostolo contrâdicit.

19. *Quam clara haec vaticinia.* — Unde autem multos filios esset habitura, consequenter adjungit, et ait: *Dixit enim Dominus: Dilata locum tabernaculi tui et aularum tuarum: fige, noli parcere, longos fac funiculos tuos, et palos tuos confirma, adhuc in dextram et in sinistram extende:*

et semen tuum gentes possidebit, et civitates desertas inhabitabis. Ne timeas, quoniam praevalebis, neque verearis, quod detestabilis fueris. Confusionem aeternam oblivisceris, ignominiae viduitatis tuae non eris memor: quoniam ego Dominus qui facio te, Dominus nomen illi, et qui liberavit te, Deus Israël universae terrae vocabitur (Isai. 54, 2). Ecce quo usque jussa est extendere funiculos, donec Deus ejus Israël universae terrae vocetur. De illa quippe et ei dicitur alio loco per eundem prophetam: *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec prodeat sicut lux justitia mea, salvatio autem mea sicut facula ardebit, et videbunt omnes gentes justitiam tuam, et reges honorem tuum; et vocabit te nomine tuo novo, quod Dominus vocavit illud; et eris corona pulchritudinis in conspectu Domini, et diadema regni in manu Dei tui; et jam non vocaberis derelicta, et terra tua non vocabitur deserta. Tu enim vocaberis voluntas mea, et terra tua orbis terrarum* (Isai. 62, 1. ss.). Quid dici manifestius adhuc exigendum est? Ecce ex uno propheta quam multa, quam clara: et tamen resistitur et contradicitur non cuiquam homini, sed Spiritui Dei et

evidentissimae veritati. Et tamen ab eis, qui nomine christiano gloriari volunt, gloriae Christi ipsius invidetur, ne ista, quae tanto ante de illo praenunciata sunt, credantur impleri, cum jam non praenunciantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur. Jamvero si de omnibus prophetis Ecclesiae praesignatae, quam sicut legimus, cernimus, testimonia colligere in hanc unam epistolam velim, vereor ne ipse videar judicare pauca esse, quae tam multa sunt, ut ex isto solo Isaïa si omnia congregare vellem, modum debiti sermonis excederem.

Caput VIII. 20. *Verba Psalmi II.* — Jam ergo pauca de Psalmis audiamus, tanto ante cantata, et nunc jàm compleri cum magno gaudio videamus. Et prius illud ipsum, quod Petilianus in epistola sua quo ore posuerit (*Forte* quare posuerit) nescio, audiant et judicent. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam fines terrae* (Psal. 2, 7). Quis enim christianus unquam dubitavit hoc de Christo esse praedictum, aut hanc hereditatem aliud quam Ecclesiam esse intellexit? Et quia bonos et malos intra eadem retia sacramentorum erat habitura: *Reges*

eos, inquit, *in virga ferrea, tamquam vas figuli conteres eos.* Eadem quippe firma et inflexibili justitia boni reguntur, mali conteruntur.

21. Quis tam devius et absurdus est a divinis eloquiis, qui non ipsum Evangelium recognoscat, cum cantatur ille Psalmus, ubi scriptum est: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem* (Psal. 21, 17; Matth. 27, 35; Joan. 19, 24). Quando etiam cum hoc factum evangelista narraret, hujus testimonii memor fuit. Quid autem hujus crucis pretio, quid tantae celsitudinis tanta humilitate, quid illo innocentissimo et divino sanguine comparatum est, nisi quod illic in consequentibus dicitur: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae; et adorabunt in conspectu ejus universae patriae gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium?* Nonne Apostolus de praedicatoribus novi Testamenti dictum exposuit quod scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (Rom. 10, 18;

Psal. 18, 5). De quo alio nisi de Christo intelligitur: *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus* (Ps. 49, 1)? Cujus, nisi Christi vox est: *Dormivi conturbatus* (Id. 56, 5). Et unde conturbatus, sequitur et dicit: *Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum machaera acuta:* quorum nisi eorum, qui clamaverunt: *Crucifige, crucifige* (Luc. 23, 21)? Ut quid hoc totum, cui bono, cui lucro? Audi quid sequatur: *Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloria tua* (Psal. 56, 6). Ecce habes Christum in passione dormisse, et resurrectione super coelos ascendisse. Et unde gloria ejus super omnem terram, nisi quia Ecclesia ejus per omnem terram? In his duabus sententiis brevissimis, vos haeretici totum, quod inter nos agitur, interrogo. *Exaltare*, inquit, *super coelos, Deus*, et *super omnem terram gloria tua.* Cur Dominum Christum exaltatum super coelos praedicatis, et ejus gloriae super omnem terram non communicatis?

22. *Psalmorum de Ecclesia oracula.* — Psalmus septuagesimus primus *in Salomonem* titulatur: sed quia ita dicta sunt, quae

in illum regem temporalem et postea graviter peccantem convenire non possunt, etiam contra ipsos judaeos de Christo esse praedicta invictissime defenduntur. Nullus autem hoc christianus negat. Talia enim dictă sunt, de quibus dubitari non possit, quod ad Christum pertineant[1]). Ibi etiam dicuntur haec, ubi agnoscatur Ecclesiă toto orbe diffusa, omnibus etiam regibus Christo subjugatis: *Et dominabitur*, inquit, *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae* (Psal. 72, 8). A flumine utique, ubi eum Spiritus sanctus in columbae specie et vox de coelo manifestavit. Deinde sequitur: *Coram illo decident aethiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei.* Et paulo post: *Et benedicentur in eo omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit mirabilia solus. Et benedictum nomen gloriae ejus in aeternum et in seculum seculi. Et replebitur gloria ejus omnis terra, fiat, fiat.* Ite nunc,

1) De hoc pluribus disserit Augustinus de civitate Dei l. 17. c. 8.

donatistae, et clamate: Non fiat, non fiat. Vicit vos Dei verbum dicens: *Fiat, fiat.* Ecce manifestata est in Psalmis Ecclesia toto orbe diffusa, super quam requiescit gloria regis ejus. Unde et ipsa regina et sponsa ejus, de qua ei dicitur in quadragesimo quarto Psalmo: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate* (Psal. 44, 10). Et ad eam ipsam exhortandam continuo divinus sermo dirigitur: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, quoniam concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Deus tuus.* Attendite unde coeperit alloqui sponsam Christi divina prophetia: *Audi,* inquit, *filia, et vide.* Vos autem nec audire vultis haec praedicta, nec videre completa: et tamen et auditis et videtis inviti. Audite ergo quid paulo post ei dicitur: audite hoc ex pagina divina, quomodo praenuncietur, et videte in omni terra quomodo compleatur. *Pro patribus tuis,* inquit, *nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Quam multa praeteream de hac re testimonia Scripturarum, norunt qui legunt; et ego novi, sed onerare epistolam nolo, cui responderi flagito.

Caput IX. 23. *Inane donatistarum effugium.* — Quid ad haec dicturi sunt, quae commemoravi ex Lege, et prophetis, et psalmis, de Christi Ecclesiâ, quae toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare perversi, quam communicare correcti? Quid, inquam, dicturi sunt, utrum haec falsa esse, an obscura? Sed falsa esse non audent dicere: premuntur enim mole tantae auctoritatis. Haec ergo cum vera esse fateantur, impleri non posse contendunt: quasi aliud sit prophetiam crimine falsitatis arguere, quām dicere, quae praenunciavit, non posse compleri. Hoc est enim dicere, non esse prophetiam, sed potius pseudoprophetiam. Et cum quaesieris ab eis, cur haec impleri non possint? Respondent: Quia homines nolunt. Cum arbitrio quippe libero, inquiunt, homo creatus est, et si vult credit in Christum; si non vult, non credit; si vult perseverat in eo quod credit; si non vult, non perseverat[1]). Et ideo cum coepisset per orbem ter-

1) Eadem plane ratione sociniani dogma de Ecclesiae perennitate impugnant. Contendunt enim hanc pendere ab hominis libera cooperatione, Deum vero non posse hominis determinare voluntatem, proinde neque potuisse decernere Ecclesiae perennitatem. Sed cum Deus possit incolumi manente hominis libertate, hujus voluntatem pro nutu inflectere,

rarum crescere Ecclesia, noluerunt homines perseverare, et defecit ex omnibus gentibus christiana religio, excepta parte Donati. Quasi vero nescierit Spiritus Dei futuras hominum voluntates. Quis hoc insanissimus dixerit? Cur ergo non hoc potius praenunciavit, quod de voluntatibus hominum sciebat futurum? Hoc enim modo, quo isti putant haec esse praedicta, quisquis voluerit potest esse propheta, ut cum ea, quae praedixerit, impleta non fuerint, respondeat: Homines noluerunt: libero enim arbitrio christiani sunt. Hoc modo poterat aliquis prophetare Christum non in cruce passurum, sed gladio moriturum; ut cum aliter factum esset, responderet: Quid ergo feci? Homines in libero arbitrio constituti noluerunt ei facere, quod ego praedixeram, et hoc fecerunt, quod ipsi voluerunt. Jam cui non occurrat, quam multa isto modo poterant prophetari, vel etiam possunt a quibuslibet hominibus? Quis enim dubitaverit, quod Ju-

---

potuit omnino absolute decernere Ecclesiae perennitatem et ope scientiae mediae eum seligere gratiarum ordinem, in quo praevidit semper fore usque ad consummationem seculi innumeros homines, qui gratia praeventi et adjuti Ecclesiam ingrederentur atque in ea perseverarent.

das Christum, si voluisset, non utique tradidisset: et Petrus si voluisset, ter Domiminum non negasset? Sed ideo fuit de istis certa praedictio, quia et Deus etiam futuras praevidet voluntates.

Caput X. 24. Verumtamen quamquam haec et tardis cordibus pateant, audiamus hinc et ipsius Verbi vocem ore propriae carnis expressam. Certe cum post resurrectionem praeberet se etiam contrectandum atque palpandum manibus dubitantium discipulorum, et cum accepisset coram illis et manducasset, quod ei porrexerant, dixit eis: *Isti sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quia oportebat adimpleri omnia scripta in Lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me* (Luc. 24, 44). De quo autem, nisi de illo scripta sunt, quae nos quoque commemoravimus ex Lege, et prophetis, et psalmis, sicut per singula demonstravi? Cum ergo ipse dicat qui veritas est: *Oportebat adimpleri omnia* (Joan. 14, 6): quomodo isti negant, nisi quia veritati inimici sunt? Si autem obscura esse adhuc dicunt, et hinc ipsum caput audiamus verissimum demonstratorem corporis sui. Cum enim dixisset: *Quia oportebat adimpleri omnia scripta in Lege Moysi,*

et prophetis, et psalmis de me (Luc. 24, 44): tamquam quaereremus utrum in eo, quod dixit *de me*, illic intelligenda esset Ecclesia, propter id quod scriptum est: *Erunt duo in carne una* (Gen. 2, 24); ut non solum de capite, verum etiam de corpore certa divina oracula teneremus, sequitur evangelista et dicit: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die* (Luc. 24, 45). Hic ipsum caput ostenditur, quod etiam se manibus discipulorum praebuit contrectandum. Vide quemadmodum de corpore adjungat, quod est Ecclesia, ut nos nec in sponso, nec in sponsâ errare permittat: *Et praedicari*, inquit, *in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Quid hac voce veracius, quid divinius, quid manifestius? Me piget eam commendare verbis meis, et haereticos non pudet eam oppugnare verbis suis.

25. *Verba Christi quam clara.* — Dicant ea testimonia, quae posui de Lege, et prophetis, et psalmis, obscura esse et figurate dicta etiam aliter posse intelligi; quamquam

et in eis egerim quantum potui, ut nec hoc audeant dicere: sed ecce dicant. Numquid et hoc obscure dictum, aut aenigmatis velamento inumbratum est, quod ipse Christus dixit: *Quia sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 46)? Si obscurum est: *Dormivi conturbatus* (Psal. 56, 5): numquid obscurum est, *quia oportebat Christum pati?* Si obscurum est? *Exaltare super coelos Deus:* numquid obscurum est, *et resurgere tertia die?* Si obscurum est: *Super omnem terram gloria tua* (Id. 107, 6, et 56, 6): numquid obscurum est: *et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes?* Si obscurum est: *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum* (Ps. 49, 1): numquid obscurum est: *et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes?* Sic enim terra vocata est a solis ortu usque ad occasum, quemadmodum ipse ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores in poenitentiam* (Matth. 9, 13). Si obscurum est:

Ex Sion species decoris ejus (Psal. 49, 2): numquid obscurum est, *incipientibus ab Jerusalem?* Ipsa est enim Sion quae Jerusalem. Sed quid ad me? Dicant ea, quae posui de Lege, et prophetis, et psalmis, non pertinere ad haec verba Domini, quae in Evangelio leguntur: non curo, nec resisto. Certe tamen nisi in Lege, et prophetis, et psalmis hoc praedictum esset, sive in eis testimoniis, quae ipse adhibui, sive in aliis, nequaquam dixisset Dominus: *Oportet impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me* (Luc. 24, 44): ac deinde aperto eorum sensu, ut intelligerent Scripturas, doceret ea ipsa, quae de illo scripta sunt in Lege et prophetis, et psalmis, eo modo ut diceret: *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Non ego potuerim in Lege, et prophetis, et psalmis haec scripta cognoscere: ibi tamen hoc esse scriptum ille dicit, qui Veritas est. Sed etsi haec ibi scripta esse non diceret, procul dubio sufficeret christianis, quod Christus ipse dixisset, *oportere praedicari in nomine suo*

poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Sed dubitantes discipulos suos quamvis conspecto et contrectato ejus corpore, majore documento Scripturarum voluit confirmare, quam quod se ipse visibilem atque palpabilem mortalium sensibus admovebat. Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde coeptura, et quousque perventura esset; coeptura scilicet ab Jerusalem, et perventura in omnes gentes.

26. *Evasio excluditur.* — Hic jam quisquis dixerit, Jerusalem non illam visibilem civitatem intelligendam, sed figurate positam, ut spiritaliter accipiatur tota Ecclesia aeterna in coelis, et ex parte in terris peregrina: potest dicere etiam illud figurate dictum: *Quia oportebat Christum pati, et resurgere tertia die.* Quod quisquis dixerit, nec quoquo modo christianus habendus est. Sicut ergo illud proprie positum est, ita et quod adjunctum est de omnium gentium Ecclesia incipiente ab Jerusalem. Exposuit enim Dominus haec de se dicta esse in Lege, et prophetis, et psalmis: et utique ipsa expositio non potuit esse figurata; alioquin non esset expositio. Deinde cum Jerusalem figurate posita et spiritaliter intellecta uni-

versam Ecclesiam significet, quomodo universa Ecclesia incipit ab universa Ecclesia, tamquam Jerusalem incipiat ab Jerusalem? Manifestum est ergo proprie positum de illa civitate, unde etiam coepisse probatur Ecclesia, etiam atque etiam ipso manifestante, et nullam insidiarum latebram calliditati haereticae relinquente. Sic enim sequitur et dicit: *Et vos horum testes, et ego mitto promissionem meam super vos. Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* In qua utique civitate sedere eos jussit, quoad usque induerentur virtute ex alto, id est, Spiritu sancto, quem se missurum esse promiserat, ab ea civitate coepturam praedixit Ecclesiam. Si autem non eam putant esse Jerusalem, audiant quod sequitur: *Produxit autem illos usque Bethaniam, et levavit manus suas, et benedixit illos. Et factum est cum benedixisset illos, discessit ab eis. Et ipsi reversi sunt cum gaudio magno in Jerusalem, et fuerunt semper in templo laudantes Deum.* Ecce ubi ostenditur illa civitas, in qua eos sedere jussit, donec induerentur virtute ex alto.

27. *Alia Christi praedictio.* — Et hic quidem quot diebus cum eis fuerit, postea-

quam se vivum post passionem suam oculis eorum et manibus demonstravit, praetermissum est: non autem tacetur in Actibus Apostolorum, ubi rursus eadem manifestatione verborum dominicorum futura per orbem terrarum praenunciatur Ecclesia: ubi nullus omnino dubitare permittatur, nisi qui de sanctarum Scripturarum fide dubitat, illam esse Jerusalem visibilem civitatem, unde coepit Ecclesia post Domini Jesu Christi resurrectionem et ascensionem: nec aliud eum voluisse ostendere, nisi hujus terrae loca, unde illi daret initium, et quomodo eam per cuncta inde diffunderet. Sic enim scriptum est in Actibus Apostolorum: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Jesus facere et docere usque in diem, quo apostolos elegit per Spiritum sanctum, mandans eis praedicare Evangelium: quibus et manifestavit se ipsum post passionem suam in multis signis, per dies quadraginta apparens eis, et disputans de regno Dei. Et cum conversaretur cum eis, praecepit eis ne discederent ab Jerosolymis, sed exspectarent promissionem ejus, quam audistis, inquit, ex ore meo. Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto baptizabimini, quem*

et accepturi estis non pôst multos hos dies. At illi quidem convenientes interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Quibus respondens dixit: Non est vestrum scire tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram (Act. 1, 1—10). Ecce et hic manifestatum est unde coeptura, et quo usque perventura esset Ecclesia.

Caput XI. 28. *Quam perspicua verba Christi.* — Quid ad haec dicunt, qui christianos se superbissime[1]) dicunt, et Christo apertissime contradicunt? Nos hanc Ecclesiam tenemus, contra istas divinas voces nullas humanas criminationes admittimus. Movet enim nos plurimum, quod Dominus noster, cui non credere sacrilegum et impium est, novissimis verbis suis, quae habuit in terra, haec primitivae Ecclesiae documenta

---

1) Merito affirmat Augustinus, donatistas *superbissime* se dicere christianos, quod se solos putabant mundos et puros et hinc christianos, reliquam vero Ecclesiam omnem fuisse pollutam et hinc de orbe periisse.

salubria et novissima dereliquit. His enim dictis mox ascendit in coelum: praemunire voluit aures nostras adversus eos, quos procedentibus temporibus exsurrecturos esse praedixerat et dicturos: *Ecce hic est Christus, ecce illic* (Matth. 24, 23). Quibus ne crederemus admonuit. Nec ulla nobis excusatio est, si crediderimus contra vocem pastoris, tam claram, tam apertam, tam manifestam, ut nemo vel obtusus et tardus corde possit dicere: Non intellexi. Quis enim non intelligat: *Sic oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 46)? Quis non intelligat: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram? His dictis, elevatus est, et nubes suscepit eum, et viderunt eum euntem in coelum* (Act. 1, 8). Quid hoc est rogo? Cum verba novissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, et impius judicatur heres, qui forte illa contempserit: quomodo ergo effugiemus iram Dei, si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba novissima, et unici Filii Dei et nostri Domini

ac Salvatoris, et ituri in coelum, et inde prospecturi quis ea negligat, quis observet; et inde venturi, ut de omnibus judicet? Habeo manifestissimam vocem pastoris mei, commendantis mihi et sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam: mihi imputabo si ab ejus grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci atque aberrare voluero; cum me praesertim admonuerit dicens: *Quae sunt oves meae, vocem meam audiunt, et sequuntur me* (Joan. 10, 27). Ecce vox ejus clara et aperta: hac audita qui eum non sequitur, quomodo se ovem ejus dicere audebit? Nemo mihi dicat: O quid dixit Donatus, o quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorum. Quia nec catholicis episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, ut contra canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant. Sed si custodito unitatis et caritatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis quod Apostolus ait: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit* (Philipp. 3, 15). Jam vero ista divinae voces de universa Ecclesia ita manifestae sunt, ut contra eas nisi haeretici animosa perversitate et coeco furore latrare non possint.

29. *Ecclesiae catholicitas declaratur.* — Sed praedictam demonstravimus Ecclesiam

in verbo Dei sponso ejus, sive per Legem, et prophetas, et psalmos, sive per os proprium, ab Jerusalem coepturam et perventuram usque ad terminos orbis terrae, quomodo autem coeperit ab Jerusalem, et in omnes gentes inde diffusa fructificet, in eodem verbo Dei etiam per apostolos demonstratur, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, quod jam commemoravi dixisse Dominum: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram.* Deinde sequitur: *Haec cum dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et cum intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt illis in veste candida, qui et dixerunt: Viri galilaei, quid statis respicientes in coelum? Iste Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Tunc reversi sunt in Jerusalem a monte qui vocatur Elaeon, qui est juxta Jerosolymam sabbati habens iter. Et cum introissent, ascenderunt in superiora, ubi erant inhabitantes, Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Jacobus Alphaei, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi.*

Hi omnes erant asservientes unanimes orationi cum mulieribus et Maria, quae fuit mater Jesu, et fratribus ejus. In his autem diebus surgens Petrus in medio discipulorum, dixit, erat autem turba hominum circiter centum viginti. Deinde narratur, Petro faciente sermonem, quemadmodum Mathias in locum Judae traditoris Domini subrogatus sit. Et post ejus ordinationem sequitur Scriptura dicens: *Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes simul in unum; et factus est repente de coelo sonus, velut decurrentis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes; et visae sunt illis distributae linguae velut ignis: consedit autem super unumquemque eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat pronunciare illis. Erant autem inhabitantes in Jerusalem judaei viri religiosi ex omni gente, quae est sub coelo. Cumque facta esset haec vox, convenit multitudo, ac mente confusa est, quia audiebat unusquisque eorum sua lingua loquentes eos. Stupebant autem et mirabantur ad invicem dicentes: Nonne omnes isti, qui loquuntur, galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque pro-*

priam linguam, in qua nati sumus? parthi, et medi, et elamitae, et qui inhabitant Mesopotamiam judaei, et Cappadociam, Pontum, et Asiam Phrygiamque et Pamphyliam, Aegyptum, et partes Lybiae, quae sunt ad Cyrenen, et qui advenerant romani judaeique, et advenae, cretenses et arabes audiebant loquentes illos suis linguis magnalia Dei. Stupebant autem et haesitabant ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alii vero irridebant eos, dicentes: Quia musto repleti sunt isti. Stans vero Petrus cum undecim discipulis, elevavit vocem suam, et locutus est dicens: Viri judaei, et universi qui habitatis Jerusalem, hoc vobis notum sit: et cetera, quibus eos exhortabatur ad fidem. Quae cum terminasset, sequitur Scriptura ita narrans. *His igitur auditis, compuncti sunt corde, dicentes ad Petrum et ad apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Ostendite nobis. Petrus autem dixit ad eos: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis gratiam Spiritus sancti. Vobis est enim promissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Et*

aliis quidem verbis plurimis testificabatur eis dicens: Salvamini a generatione prava hac. Illi vero recepto verbo hoc crediderunt et baptizati sunt. Et adjectae sunt in illa die animae circiter tria millia (Act. 2, 1. ad finem). Ecce quemadmodum coepta est ab Jerusalem, inde itura Ecclesia per omnes linguas: quod etiam praesignatum est in eis, qui ibidem constituti accepto Spiritu sancto linguis omnibus sunt locuti[1].

---

1) Saepe Augustinus inculcat, miraculoso illo facto, quod die Pentecostis contigit, quum scil. apostoli loquerentur linguis omnium gentium, adumbratam fuisse Ecclesiae catholicitatem, qua diffundenda esset per omnes gentes. Cf. tract. 32. in Joan. n. 7., ubi acute explicat, quomodo etiam detur fidelibus nunc linguarum charisma, quod olim dabatur iis, qui accipiebant Spiritum s. „Cum ergo et modo accipiatur (Spiritus s.), dixerit aliquis, quare nemo loquitur linguis omnium gentium?“ Jam vero respondet, eo ipso fideles hujus charismatis fieri participes, quod membra fiant illius Ecclesiae, quae linguis loquitur omnium gentium. „Quia jam ipsa Ecclesia, inquit, linguis omnium gentium loquitur. Antea in una gente erat Ecclesia, ubi omnium linguis loquebatur. Loquendo linguis omnium significabat futurum, ut crescendo per gentes loqueretur linguis omnium. In hac Ecclesia qui non est, nec modo accipit Spiritum sanctum. Praecisus enim et divisus ab unitate membrorum, quae unitas linguis omnium loquitur, renunciet sibi; non habet (scil. Spiritum s.).

30. *Historia propagationis Ecclesiae.* — Jam per alias gentes quemadmodum ierit,

---

Nam si habet, det signum, quod tunc dabatur. Quid est, det signum, quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respondet mihi: Quid enim, tu loqueris omnibus linguis? Loquor plane, quia omnis lingua mea est i. e. ejus corporis, cujus membrum sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis; Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es: cum ergo membrum sis ejus corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Unitas enim membrorum caritate concordat; et ipsa unitas loquitur, quomodo tunc unus homo loquebatur.« Tr. 2. in ep. Joan. n. 3., tr. 6. n. 10.; serm. 266. n. 2.; s. 267. n. 3.; s. 268. n. 1, 2.; s. 269, 270. n. 6.; s. 271.; serm. 19. n. 11. (ap. Migne t. 46.); enarr. 2. in Ps. 18. n. 10.; in Ps. 147. n. 19., ubi eadem plane habet et disputationem ita absolvit: »Loquor omnium linguis, audeo tibi dicere. In corpore Christi sum, in Ecclesia Christi sum: si corpus Christi jam omnium linguis loquitur, et ego in omnibus linguis sum; mea est graeca, mea est syra, mea est hebraea, mea est omnium gentium, quia in unitate sum omnium gentium.« De civit. Dei l. 18. c. 49.; l. 2. contra Cresconium c. 14. n. 42.; c. literas Petiliani l. 2. n. 74.; c. Faustum l. 32. c. 15. Neque haec est sententia solius s. Augustini. Idem docent episcopi catholici in gestis collationis carthaginiensis diei primae n. 4.; Gregorius M. hom. 30. in Evang. n. 4.; Beda in Joan. 7, 39; in act. 2, 3.; l. retract. in act. 4, 31.; l. 2. hom. 11. et Chrysostomus hom. 2. de Pentec. n. 2., qui et haec

quod etiam ipse Petrus praedixerat, ubi ait: *Vobis est promissio et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster:* deinceps videamus. Narrantur enim consequenter ea, quae tunc gesta sunt Jerosolymis usque ad passionem Stephani diaconi: ubi etiam Saulus commemoratur consentiens occisioni ejus. Qua completa, ita deinde narratur: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quae erat in Jerosolymis: om-*

---

animadvertit: „In specie linguarum Spiritus advenit . . . ut veteris etiam historiae memoriam nobis refricaret. Cum enim homines olim superbia elati turrim exstruere voluerint, quae ad coelum usque pertingeret, et invecta divisione linguarum pravam illorum coitionem et concordiam dissiparit Deus, idcirco nunc quoque in specie ignearum linguarum ad eos advolat Spiritus s., ut per illum orbem terrarum divisum conjungat. Et accedit res nova simul ac mira: ut enim tunc antiquitus linguae terrarum orbem diviserunt et malam concordiam in dissidium converterunt, ita nunc quoque terrarum orbem linguae copularunt et quae dissidebant in concordiam reduxerunt.“ Hinc sequitur corollarium haud spernendum, illum scil. coetum non esse veram Christi Ecclesiam, qui una tantum alterave loquitur lingua, seu ad unam tantum alteramve regionem se extendit, gentem tantum unam alteramve complectitur, prout plerique coetus ab Ecclesia catholica divisi.

nesque dispersi sunt in regionibus Judaeae et Samariae, exceptis apostolis, qui remanserunt Jerosolymis (Act. 8, 1). Videte quemadmodum deinceps impleatur, quod per ordinem Dominus dixerat: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram* (Ib. 1. 8). Jam in Jerusalem factum erat: sequebatur in Judaea et Samaria, propter quod illi dispersi sunt in regionibus Judaeae et Samariae. Hoc enim de illis mox dicitur: *At illi qui dispersi erant, transeuntes per civitates et castella, evangelizabant verbum Dei* (Ib. 8, 4). Quia vero ierant et apostoli, audito quod recepisset Samaria verbum Dei, quando per impositionem manus eorum acceperunt Spiritum sanctum, ita dicitur de Petro et Joanne: *Petrus autem et Joannes testificati verbum Domini, rediebant Jerosolymam, multisque viris Samaritanorum evangelizabant transeuntes* (Ibid. 25). Deinde narratur de illo eunucho, qui rediens ab Jerosolymis a Philippo baptizatus est: et de ipso Philippo dicitur: *Angelus autem Domini rapuit Philippum ab eo, et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem via sua gaudens: Philippus autem inventus est venisse in Azotum. Unde revertens*

evangelizabat per omnes civitates, usque dum veniret in Caesaream. Sic ergo invenitur et per Judaeae et Samariae civitates praedicatum Evangelium. Restabat ergo, ut praedicaretur ex ordine etiam per omnes gentes, sicut Dominus dixerat: *usque in totam terram.* Vocatur ergo Saulus de coelo, fit ex persecutore praedicator, et dicit de illo Dominus ad Ananiam: *Vade, quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël magnificari. Ego enim monstrabo ei, quanta patietur propter nomen meum* (Ib. 9, 15). Jam itaque tenemus Ecclesiam in Jerusalem, et per totam Judaeam et Samariam. Unde apertissime paulo post dicitur: *Ecclesiae quidem per totam Judaeam, et Galilaeam, et Samariam habebant pacem, instructae et confirmatae in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebantur.* Deinde paucis interpositis, venitur ad eum locum, ubi Cornelius centurio credidit, et cum suis baptizatus est, qui omnes gentiles erant incircumcisi. Quod antequam fieret, Petrus vidit in assumptione mentis, cum oraret, coelum apertum, et quatuor initiis ligatum vas quoddam tamquam linteum limpidum, in quo erat omne genus quadrupedum ac ferarum,

et volucrum coeli[1]). Et facta est vox: *Petre, surge, macta et manduca. Ait autem Petrus: Domine, nunquam manducavi omne commune et immundum.* Et vox rursus ad eum: *Quae Deus mundavit, tu communia ne dixeris.* Quod autem per hoc visum gentes crediturae significatae sint, non opus est ut conjiciamus: ipse quippe Apostolus hoc exponit in illo vase sibi demonstratum. Cum enim ingressus esset domum, ubi erat Cornelius, et multi convenissent, dixit ad eos: *Vos melius scitis, quomodo abominandum sit viro judaeo, jungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi Deus ostendit, nullum communem aut inquinatum dicere hominem.* Ita exposuit illam vocem, quam de animalibus in illo linteo demonstratis audierat, *quae Deus mundavit, tu ne communia dixeris.* Jam cui non appareat, illo vase significatum orbem terrarum, cum omnibus gentibus? Unde etiam quatuor initiis erat alligatum propter notissimas quatuor partes, Orientem et Occidentem, Austrum et Aquilonem, quas saepissime

1) Hac visione adumbratam et praesignificatam fuisse Ecclesiae catholicitatem docet idem s. doctor enar. 3. in Ps. 30. n. 5.; s. 3. in Ps. 103. n. 2.

Scriptura commendat. Jam vero Paulus missus ad gentes, quae loca circumierit disseminans verbum Dei, et natas confirmans Ecclesias, longum est commemorare. Cui judaei cum restitissent Antiochiae, ipse et Barnabas dixerunt ad eos: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis vita aeterna, ecce convertimur ad gentes. Sic enim praecepit nobis Dominus: Posui te lumen gentibus, ut sis in salutem usque in extremum terrae* (Act. 13, 46—48). Et sequitur dicens: *Audientes autem gentes, perceperunt verbum Dei, et crediderunt quotquot erant destinati in vitam aeternam.* Ecce et hic commemoratum est testimonium ex propheta Isaïa, quod et nos posuimus, ut sit salus usque in extremum terrae (Isai. 49, 6).

Caput XII. 31. *Quam absurde donatistae affirment omnes periisse ecclesias.* — Ut ergo non commemorem gentes, quae post apostolorum tempora crediderunt et accesserunt Ecclesiae: illae ipsae solae, quas in sanctis literis, in Actibus, in epistolis apostolorum et in Apocalypsi Joannis invenimus, quas utrique amplectimur, et quibus utrique subdimur, dicant isti nobis, quem-

admodum africana seditione perierint. Has enim accepimus non ex conciliis contendentium episcoporum, non ex disputationibus novitiis, non ex forensibus vel municipalibus gestis, sed ex literis sanctis canonicis. Antiochena ecclesia, ubi primum appellati sunt discipuli christiani (Act. 11, 26), quomodo potuit afrorum perire criminibus? Quis tam vehemens africus tam longe potuit ablatam spargere pestilentiam, ubi nec nomina eorum, per quos ortum est, vel de quibus ortum est hoc malum[1]), nota esse potuerunt, Athenis, Iconio, Listris? Quis delevit ecclesias apostolico labore fundatas? In extremis epistolae ad Romanos dicit idem apostolus doctor gentium: *Audacius autem scripsi vobis ex parte, tamquam commemorans vos, propter gratiam, quae data est mihi a Deo, ut minister sim Christi Jesu in gentibus consecrans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata in Spiritu sancto. Habeo ergo gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo quidquam eorum loqui, quorum non perfecerit Christus per me in obedientiam gentium verbo et opere, in potestate*

---

1) Hoc malum i. e. schisma donatistarum.

signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ita ut ego ab Jerusalem et in circuitu usque in Illyricum repleverim Evangelium Christi (Rom. 15, 15—19). Quaerite, donatistae, si nescitis, quaerite ab Jerusalem per terrena itinera in circuitu usque in Illyricum quot mansiones sint: si tot ecclesias computemus; dicite quemadmodum per africanas contentiones perire potuerunt? Ad corinthios, ad ephesios, ad philippenses, ad thessalonicenses, ad colossenses, vos solas Apostoli epistolas in lectione, nos autem et epistolas in lectione ac fide, et ipsas ecclesias in communione retinemus. Jam vero Galatia non una ecclesia est, sed in ea regione innumerabiles. Corinthios autem videte quemadmodum salutaverit: *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater ecclesiae Dei, quae est Corinthi, cum sanctis omnibus, qui sunt in universa Achaja* (2. Cor. 1, 1). Quot putatis esse ecclesias in universa Achaja? Fortasse ubi Achaja sit, nescitis, et de tam incognita provincia tanta coecitate judicatis, ut eam criminibus afrorum periisse dicatis. Nonne plena sunt florentissimis ecclesiis omnia loca, quae Petrus nominavit, Pontus, Galatia, Cappadocia, Asia,

Bithynia (1. Petr. 1, 1)? Quid Joannes quibus scripsit, Smyrnae, Pergamo, Sardis, Tiathyrae, Philadelphiae, Laodiciae, quae sunt ecclesiae (Apoc. 1, 11)? Jam enim Ephesum commemoravimus. Dicat mihi aliquis vestrum, ubi sint, quantum ab invicem distent? Fortasse modo id quaeritis, vel legendo vel audiendo cognoscere. Cognoscite ergo etiam quam longe ab Africa remotae sunt, et dicite nobis, cur eas omnino vobis incognitas, et in apostolicis literis manifestatas tam sacrilega temeritate accusetis, et tanta dementia criminibus afrorum periisse dicatis? Postremo quid de illis in sanctis canonicis libris scriptum sit, scio: quid de illis vos dicatis, nescio. Certe sicut nos eas legimus ecclesias Christi ex codicibus, quos et vos veneramini: sic et vos ex codicibus, quos et nos veneramur, quemadmodum perierint, legite nobis. An placet vobis, ut contra ecclesias, quae membra sunt unius Ecclesiae toto orbe diffusae, quas nobis per Scripturas suas Spiritus sanctus commendavit et tradidit, undelibet prolata quaelibet hominum maledicta credamus? Hoc quidem vobis placet, sed nobis non placet. Quibus autem justius placeat, et vos videtis; sed victi animositate, non vultis vinci veritate.

Ecce sunt Scripturae Dei, ecce sunt in eis ecclesiae, et universali totius orbis nomine, et nominatim designatae et expressae: quid majores vestri collegis suis objecerint, nescierunt; quales ea causa judices habuerit, nescierunt; quomodo ergo perierunt? Ecce sunt Scripturae quibus credo, ecce sunt ecclesiae quibus communico: ubi tibi lego nomina earum, ibi mihi lege crimina earum.

32. *Donatistarum assertio Scripturis adversatur.* — Si autem aliunde clamas vel recitas, nos post vocem pastoris nostri, per ora prophetarum, per os proprium, per ora evangelistarum nobis apertissime declaratam, voces vestras non admittimus, non credimus, non accipimus. *Quae sunt oves meae,* inquit pastor coelestis, *vocem meam audiunt, et sequuntur me* (Joan. 10, 27). Vox ejus de Ecclesia non est obscura. Quisquis ab ejus grege errare non vult, hunc audiat, hunc sequatur. Fidelissimus dispensator ejus doctor gentium in fide et veritate, quia ipse in eo loquebatur, haec dicit: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi aliqui sunt conturbantes vos, et volentes convertere Evangelium Christi. Sed licet si nos, aut*

angelus de coelo vobis evangelizaverit praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit praeter quam quod accepistis, anathema sit (Gal. 1, 6—8). Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hoc in Lege, et prophetis, et psalmis esse praenunciatum ipse Dominus testificatus est, qui eam coepturam ab Jerusalem et per omnes gentes permanaturam esse praedixit (Luc. 24, 44), testes sibi futuros in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram, cum jam in coelum ascenderet, praenunciavit (Act. 1, 8). Haec verba facta secuta sunt. Quomodo coeptum sit ab Jerusalem, et deinde processum in Judaeam et Samariam, et inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, Scripturis sanctis testibus consequenter ostenditur: quisquis aliud evangelizaverit, anathema sit. Aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cetero mundo Ecclesiam, et in parte Donati in sola Africa remansisse dicit. Ergo anathema sit. Aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, et non sit anathema.

Caput XIII. 33. *Donatistarum argumenta nil probant.* — Lego, inquit: Nam Enoch unus inter omnes homines placuit Deo, et translatus est: et postea toto mundo aquarum inundatione deleto, solus Noë cum conjuge et filiis et nuribus suis in arca meruit liberari (Gen. 5, 24). Adjungunt etiam de Loth, quod solus cum filiabus de Sodomis liberatus sit (Ib. 7, 1). De ipso quoque Abraham, Isaac et Jacob, quod pauci fuerint Deo placentes (Id. 19, 12) in terra idolis et daemonibus dedita. Postremo jam multiplicato populo Israël, jam temporibus regum in terra promissionis, quae fuerat omnibus duodecim tribubus distributa, commemorant decem tribus divisas et traditas servo Salomonis (3. Reg. 11, 11): duas autem remansisse filio Salomonis ad regnum, quod erat Jerusalem. Sic et nunc, inquiunt, totus mundus apostatavit, nos autem tamquam duae illae tribus in templo Dei, hoc est, in Ecclesia remansimus. Dominum etiam Jesum Christum cum plurimi discipuli sequerentur, septuaginta duobus apostatantibus, soli cum illo duodecim remanserunt. His atque hujusmodi exemplis haeretici suam paucitatem commendare conantur, et in sanctis Ecclesiae multitudinem

toto orbe diffusam blasphemare non cessant. Sed quaero ab eis, si (quod absit) nollem credere vera esse ista ipsa, quae ab eis commemorantur exempla, unde me convincerent? Nonne de Scripturis sanctis, ubi leguntur tanta manifestatione, ut quisquis illas literas in fidem recepit, non possit nisi et ista verissima confiteri? Porro si haec exempla ideo cogerer credere vera esse, quia ibi scripta sunt, ubi non possem dicere falsa esse quae scripta sunt, cur non et ipsi de Ecclesia toto orbe diffusa eisdem Scripturis credunt? Ecce nos omnia illa credimus; credant et ipsi quod ait Dominus: *Praedicari in nomine suo poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 47). Credant quod ascensurus in coelum novissime dixit: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judaea et Samaria, et usque in totam terram* (Act. 1, 8). Et illa et ista vera esse credantur, et nulla inter nos contentio remanebit; quia nec illis veris ista, nec istis veris illa impediuntur. Et ista, inquiunt, credimus, et completa esse confitemur; sed postea orbis terrarum apostatavit, et sola remansit Donati communio. Hoc nobis legant, sicut legunt de Enoch, de Noë et de

Abraham, Isaac et Jacob, et de illis duabus tribubus, quae decem separatis reliquae factae sunt, et de duodecim apostolis, qui ceteris apostatantibus remanserunt; et hoc similiter legant, et nihil resistimus. Si autem non ea de Scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur: credo illa, quae in Scripturis sanctis leguntur, non credo ista, quae ab haereticis vanis dicuntur. Sed quia se duabus illis tribubus, quae cum Salomonis filio remanserunt, comparandos putant, legant, et eos hoc elegisse poenitebit. Sic enim commemorantur in Scripturis ipsi duo populi. Pars quae erat ad Jerusalem Juda nominatur: illa vero alia, quae cum servo Salomonis in ampliore numero segregata est, Israël vocatur. Legant quae dicant prophetae de utrisque quemadmodum pejorem dicant Judam quam Israël, ita ut justificatam dicant aversatricem Israël peccatis praevaricatricis Juda (Ezech. 16, 61): id est, tam gravia esse peccata hujus, ut in eis comparatione illa justa dicenda sit. Nec hujus tamen, nec illius peccata obfuerunt aliquid justis, qui et hic et illic fuisse inveniuntur. Nam et in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt, id est, in Israël, fuerunt sancti prophetae. Ibi

erat ille memorabilis Elias, ut de aliis taceam, cui etiam dictum est: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (3. Reg. 19, 18). Ideo nequaquam pars illa populi tamquam haeresis fuisse deputanda est. Deus enim easdem tribus jusserat separari, non ut religio, sed ut regnum divideretur, et hoc modo vindicaretur in regnum Juda. Deus autem nunquam jubet schisma vel haeresim fieri. Neque enim quia et in orbe terrarum plerumque regna dividuntur, ideo et unitas christiana dividitur, cum in utraque parte catholica inveniatur Ecclesia.

34. *Quomodo intelligendae increpationes in Scripturis.* — Hoc ideo de Juda et Israël commemorandum arbitratus sum, maxime ut admoneantur isti, non obesse justis in medio impiorum constitutis, quidquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur: ut desinant colligere testimonia, quaecunque sive per prophetas, sive per os Domini, sive per evangelistas in zizania vel paleam orbis terrarum dicta inveniuntur. Plerumque enim sermo divinus impias turbas Ecclesiae, quae nec in Ecclesia deputantur, tamen propter sacramenta, quae cum sanctis communiter habent, quia inest in eis

quaedam forma pietatis, cujus virtutem negant, sicut ait Apostolus: *Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (2. Tim. 3, 5): sic redarguit tamquam omnes tales sint, et nullus bonus omnino remanserit. Inde quippe admonemur, in suo quodam numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennae, quo eos Deus pertinere praescivit. Isti ergo vel imperite, vel fallaciter agentes, colligunt de Scripturis talia, quae vel in malos bonis usque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi judaeorum dicta reperiuntur: et volunt ea detorquere in Ecclesiam Dei, ut tamquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur. Desinant ergo talia proferre, si respondere huic epistolae volunt. Neque enim nos ita dicimus per totum orbem diffundi Ecclesiam, ut in sacramentis ejus solos bonos esse dicàmus, ac non etiam malos, et eos etiam multo plures, ut in eorum comparatione pauci sint, cum per se ipsos ingentem numerum faciant.

Caput XIV. 35. *Donatistarum fallax argumentandi ratio.* — Habemus innumerabilia testimonia et de commixtione malorum cum bonis in eadem communione sacramenti, sicut Judas ab initio malus inter bo-

nos undecim conversatus est: et de bonorum paucitate, propter malorum plurium comparationem; et rursus de bonorum multitudine per se ipsam considerata. Ex quibus, ne longum faciam, pauca commemoro. Est in Canticis canticorum, quod de sancta Ecclesia dictum omnis christianus agnoscit: *Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum* (Cant. 2, 2). Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem unde filias, nisi propter communionem sacramentorum? Videt etiam hic Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis pariter interirent, de quibus ei dicitur: *Qui gemunt et moerent peccata et iniquitates populi mei, quae fiunt in medio eorum* (Ezech. 9, 4). Populum suum non diceret, quem solis illis illaesis perire mox jubet, nisi eum populum, qui ejus sacramenta gestabat. Dicit et Dominus de superseminatis zizaniis: *Sinite utraque crescere usque ad messem* (Matth. 13, 30): id est, triticum et zizania. Et ipse interpretatur messem finem esse seculi; agrum vero, ubi utrumque seminatum est, mundum esse. Oportet itaque usque in finem seculi crescere utrumque per mundum. Unde jam non permittuntur isti suspicari, aut asserere quod

dicunt, omnes bonos defecisse de mundo, ut in sola parte Donati remanerent. Conantur enim contra apertissimam sententiam Domini dicentis: *Ager est hic mundus:* et, *sinite utraque crescere usque ad messem:* et, *messis est finis seculi.* Est alia similitudo apertissima de commixtione malorum et bonorum intra eandem sacramentorum communionem et connexionem, quam Dominus ipse et ponit et exponit. *Simile est*, inquit, *regnum coelorum sagenae missae in mare, quae congregat omnia genera piscium. Cum autem esset impleta, eduxerunt eam ad litus, et sedentes elegerunt optimos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi: exient angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium* (Matth. 13, 47—49). Nulla ergo malorum commixtio terret bonos, ut propterea velint tamquam retia rumpere, et a congregatione unitatis exire, ne homines non pertinentes ad regnum coelorum in sacramentorum consortio patiantur: quandoquidem cum ad litus, id est, ad finem seculi ventum fuerit, fiet debita separatio, non humana temeritate, sed divino judicio.

36. *Scripturae testimonia de commix-*

tione malorum cum bonis in eadem communione sacramenti. — De paucitate autem bonorum ipse Dominus apertissime dicit: *Intrate per angustam portam: quam lata et spatiosa via est, quae ducit ad interitum, et multi sunt qui pergunt per illam. Quam angusta porta et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui ingrediuntur per illam* (Ib. 7, 13—15). Istos paucos donatistae se putant esse, et ideo dicunt periisse orbem terrarum, se autem in hac paucitate, quam laudavit Dominus, remansisse. Qui quando comparantur cum eis, longe pauciores rogatistas aut maximianistas objicimus, qui se ab eis separaraverunt, si existimant sibi de paucitate esse gloriandum. Veruntamen hanc paucitatem in comparatione multitudinis malorum esse a Domino commendatam multitudinem autem bonorum, cum per se ipsam consideratur, non tacuisse Scripturas, legant, et videant quam plura testimonia reperiantur. Unde enim ipsum semen Abrahae, sicut stellae coeli et sicut arena maris promittitur (Gen. 22, 17), nisi propter innumeram multitudinem? Cum dicat Apostolus ideo dictum esse: *In Isaac vocabitur tibi semen, quia non filii carnis, sed filii promissionis*

deputantur in semen (Rom. 9, 7)? Unde: *Multi filii desertae magis, quam ejus quae habet virum* (Isai. 54, 1)? Unde: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum, filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (Matth. 8, 11): hoc est, impii judaei? Unde dicit Apostolus: *Ut mundaret nos sibi populum abundantem, aemulatorem bonorum operum* (Tit. 2, 14)? Unde Apocalypsis millia millium dicit esse sanctorum Ecclesiae filiorum (Apoc. 5, 11)? Ecce ipsi dicuntur multi, qui dicuntur et pauci. Quare, nisi multi per se ipsos considerati, pauci autem in comparatione iniquorum?

Caput XV. 37. *Boni in Ecclesia pauci et multi.* — De nobis, inquiunt, dictum est: *Erunt primi, qui erant novissimi* (Matth. 20, 16). Ad Africam enim Evangelium postmodum venit: et ideo nusquam literarum apostolicarum scriptum est Africam credidisse. De Orientalibus autem et ceteris gentibus, quae in sanctis libris commemorantur fidem recepisse christianam, dictum est, *erunt novissimi, qui erant primi,* quia recessuri erant a fide. Nonne ista est haereticorum cavenda calliditas, volentium

convertere verba Dei a veritate, propter quam dicta sunt, ad perversitatem, in qua ipsi sunt? Cur enim hoc non potius de judaeis intelligimus, qui novissimi facti sunt cum fuissent primi; et de christianis ex gentibus, qui primi facti sunt cum fuissent novissimi? Quem intellectum si aliquo certiore documento probare non possem, sufficere debuit bene judicanti auditori, quod invenerim exitum in his verbis, unde istos appareat nihil pro se attulisse tamquam certum, ut dubitari non possit. Quia etsi non essent judaei et gentes, de quibus hoc dictum intelligerem, nonnullae barbarae nationes etiam post Africam crediderunt; unde certum sit, Africam in ordine credendi non esse novissimam. Huc accedit, quod ipse Dominus de quibus hoc dixit, exposuit, et ora calumniatorum oppilavit. Loquens enim judaeis, qui ei dicturi sunt, *in plateis nostris docuisti*: *Cum videritis*, inquit, *Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras: et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei: et ecce sunt novissimi qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi* (Luc. 13, 26—30). Hic certe quid contradicatur, non invenitur.

38. *Refellitur donatistarum expositio Matth. 20, 16.* — Item dicunt de apostasia orbis terrarum dictum esse, quod ait Dominus: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra* (Deut. 32, 51)? Quod nos intelligimus dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, quae ita difficilis est in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam et paucitatem bonorum, de qua satis diximus. Propterea enim tamquam dubitans hoc Dominus dixit. Neque enim ait: Veniens Filius hominis non inveniet fidem in terra: sed: *Putas inveniet fidem in terra?* Cui utique cuncta scienti et praescienti de aliqua re dubitare non convenit: sed illius dubitatio nostram dubitationem figuravit; quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc erat quandoque infirmitas humana dictura. Unde in Psalmis dicitur: *Dormitavit anima mea prae taedio, confirma me in verbis tuis* (Psal. 118, 28). Quare *dormitavit anima mea prae taedio,* nisi propter illud, quod Dominus ait: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (Matth. 24, 12)? Et quare

Confirma me in verbis tuis, nisi propter id, quod sequitur: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit?* Sunt ergo per totum mundum, in quibus quoniam abundat iniquitas, refrigescet caritas multorum: et sunt rursus per totum mundum, qui perseverando usque in finem salvi erunt: quia, *sinite*, inquit, *utraque crescere usque ad messem*: et, *messis est finis seculi, ager autem mundus* (Id. 13, 30). Cujus humanae infirmitatis est etiam illa vox: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum* (Psal. 11, 2). Et inter hos tamen est unum cor et una in Deum anima fidelium clamans: *Salvum me fac, Domine.* Quia enim sic unus est iste homo qui dicit: *Salvum me fac, Domine*, ut ex multis constet; paulo post in eodem Psalmo dicitur: *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.* Et rursus paulo post plurali numero dicitur: *Tu vero servabis nos, et custodies nos a generatione hac in aeternum.* Qua generatione, nisi de qua superius dictum est: *Defecit sanctus, et diminutae sunt veritates a filiis hominum?* Sed utrumque hoc genus per totum mundum usque in finem: quia: *Si-*

nite, inquit, *utraque crescere usque ad messem:* et: *Ager est mundus, messis finis seculi.* Ipse enim unus homo, quod est corpus Christi ex multis constans, tamquam Enoch Deo placens transferetur (Gen. 5, 24), et tamquam Loth de Sodomis (Id. 19, 12), et tamquam Noë de diluvio liberabitur (Id. 7, 1). In ipso est miseria inopum et gemitus pauperum, quia ejus anima dormitat a taedio, cum se petit confirmari in verbis Dei. In eo autem Psalmo dicit, unde sit ipsum taedium: *Taedium*, inquit, *detinuit me a peccatoribus relinquentibus legem tuam* (Psal. 118, 53). Ipse item clamat, cum eodem taedio cor ejus angitur, sed videant unde clamat. *A finibus terrae*, inquit, *ad te exclamavi, dum angeretur cor meum* (Psal. 60, 3.) Ipse persecutionem vere pro justitia patitur, non solum si tormentis corporalibus patiatur, hoc enim non semper; sed quod semper, quamdiu transeat iniquitas, patitur, cruciatus videlicet cordis, cum eum taedium detinet a peccatoribus relinquentibus legem Dei. Neque enim nullam persecutionem Loth in Sodomis patiebatur (Gen. 19), ubi tamen ei habitanti nullus per corporales poenas molestus fuit, sed aspectu et auditu justus inhabitans animam justam iniquis aliorum

factionibus cruciabat (2. Petr. 2, 7). De hoc dicit Apostolus: *Sed et omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur* (2. Tim. 3, 12). De illis autem, qui relinquunt legem Dei (de quibus dicit idem ipsum corpus Christi: *Vidi insensatos et tabescebam* (Psal. 118, 158): *Mali autem*, inquit, *et facinorosi proficient in pejus, ipsi errantes et alios in errorem mittentes* (2. Tim. 13, 13). Sed utrumque hoc genus per totum mundum usque in finem: quia *sinite*, inquit, *utraque crescere usque ad messem: ager autem est mundus, messis finis seculi* (Matth. 13, 30).

39. *Boni semper malis permixti.* — Verumtamen istos miror non attendere quid dicant, cum velut pro se commemorant quod ait Dominus: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra* (Luc. 18, 8)? quasi Africa non sit terra. Si enim hoc ita dixit, tamquam omnino in nullis inventurus fidem, aut de quadam terra dixit, et incertum est de qua dixerit; aut de tota terra dixit, et non inveniunt quomodo et de Africa non dixerit. Sane videant, ne forte consequentibus verbis tales tetigerit, quales isti sunt. Cum enim dixisset: *Filius hominis putas inveniet fidem in terra*, credo quia poterat qui-

busdam superbis haereticis, qui in aliqua parte terrarum se ab orbis unitate separaverunt, ascendere in cor vana et inflata cogitatio, quod ipsi essent justi, deficientibus et pereuntibus a fide ceteris gentibus, per quas Ecclesiae communio dilatatur; continuo secutus evangelista: *Dixit autem*, inquit, *et ad quosdam, qui sibi justi videbantur, et spernebant ceteros, similitudinem istam* (Luc. 18, 9). Et sequitur de illis duobus in templo orantibus, pharisaeo et publicano: in quibus duobus figurantur superba gloriatio bonorum operum, et humilis confessio peccatorum. Desinant ergo isti, si respondere huic epistolae parant, ea testimonia commemorare, quae nos cum ipsis commemoramus, vel in perditionem judaeorum, vel in zizania, sive paleam, sive malos pisces totius mundi. Et sicut nos manifestissimis testimoniis asseruimus Ecclesiam toto orbe diffusam, sic et ipsi manifestum aliquid proferant, unde ostendant esse praedictum, ceteris gentibus a fide Christi pereuntibus, solam Africam remansuram, et quocunque episcopi ex Africa mitterentur[1]).

---

1) *Quocunque episcopi ex Africa.* Donatistae, ut saltem aliquam affectarent catholicitatem, mittebant

Caput XVI. 40. *Non favent donatistis quae legimus Cantic. 1, 6.* — Scriptum est, inquiunt, in Canticis canticorum sponsa, id est, Ecclesia dicente ad Sponsum: *Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie* (Cant. 1, 6). Hoc est unicum testimonium, quod pro se isti resonare arbitrantur, eo quod Africa in meridiana orbis parte sit constituta. Unde primum quaero, quomodo Christum interroget Ecclesia, ut annunciet ei, ubi sit Ecclesia: neque enim duae, sed una est. Aut isti ostendant, quoniam non negant haec verba Ecclesiam dicere Christo, quae sit Ecclesia, quae interrogat, et quae sit Ecclesia, de qua interrogat. Quaerit enim quo veniat ad sponsum suum, et dicit ei: *Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie.* Adhuc enim ista Ecclesia est, quae loquitur et quaerit, ubi sit Ecclesia in meridie. Neque enim interrogat: *Ubi pascis, ubi cubas*, et ei respondetur, *in*

---

ex Africa alios in locos, Romam praesertim, episcopos, qui deinde in Africam literas communionis ad donatistas scriberent, ut ita gloriari possent, quod etiam communionis literas undique locorum acciperent, ac proinde haud spernenda per orbem terrae diffusione gauderent. Cf. Optatum l. 2. n. 4.

meridie: tamquam sponsus respondeat, in meridie pasco, in meridie cubo: sed omnia ista verba ad interrogationem pertinent, *ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Adhuc enim ipsa dicit: *Ne forte fiam sicut operta super greges sodalium tuorum*. Jam vero ille respondet: *Nisi cognoveris temetipsam, o decora inter mulieres*, et cetera. Non ergo his verbis ostenditur, in sola parte meridiana esse Ecclesiam: sed in aliis mundi partibus constituta interrogat fortasse, quid ad ejus communionem pertineat in meridie, id est, ubi sponsus ejus pascat et cubet in meridie; quia suos pascit, et in suis cubat. Veniunt enim quaedam membra ejus, id est, boni fideles ex partibus transmarinis in Africam, et cum audierint hic esse partem Donati, timentes ne incidant in manus alicujus rebaptizatoris, invocant Christum orantes et dicentes: *Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie*, id est, qui sint meridies, ubi tu pascis et cubas, id est, qui habent caritatem, et non dividunt unitatem. Et vide quid adjungat: *Ne forte fiam velut operta super greges sodalium tuorum*: id est, ne forte velut latens et incognita et non revelata, hoc est enim *operta fiam*, non super gregem tuum,

sed *super greges sodalium tuorum*, qui cum primo tecum essent, extra colligere voluerunt, non tuum gregem, sed suos greges; nec audierunt te dicentem: *Qui mecum non colligit, spargit* (Matth. 12, 30); nec quod Petro dixisti: *Pasce oves meas* (Joan. 21, 17), non tuas. Non est autem ista operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (Matth. 5, 15). Et de illa dictum est: *Non potest civitas abscondi super montem constituta.* Sed donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida et manifesta testimonia, quae illam toto orbe demonstrant; et malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere, qui cum esset lapis praecisus de monte sine manibus (Dan. 2, 35), crevit et factus est mons ingens, et implevit universam terram.

41. *Alia ejusdem loci expositio.* — Potest et alio modo intelligi: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie.* Ipsius enim vox est in Psalmis ex persona Moysi famuli Dei: *Dexteram tuam notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia* (Psal. 89, 12). In illis enim meridies dicitur, propter ingentem sapientiae lucem et ingentem caritatis ardorem. Unde quendam cum exhortaretur Spi-

ritus Dei ad bona opera per prophetam, hoc illi etiam promittit: *Et tenebrae tuae sicut meridies erunt* (Isai. 58, 10). Sed si aliquis mundi locus intelligendus esset, quod dictum est *in meridie*, tamen ipsa verba, sicut dixi, quae omnia unam faciunt interrogationem, nullo modo permitterent quemquam ad suum sensum istam detorquere sententiam. Et si tamquam quaerenti ubi pasceret et ubi cubaret, de terreno loco responderetur: *In meridie*: non continuo Africam accipere deberemus. Africa enim in parte quidem meridiana mundi est, sed ad Africum, non ad Austrum ubi vere meridies est. Ibi enim sol facit medium diem, sub qua coeli plaga potius Aegyptus invenitur. Si ergo sponsus ab sponsa tamquam de loco familiarius dilecto et cubili quodam suo secreto interrogatus, responderet esse in meridie, multo probabilius Ecclesia catholica in his membris suis hoc agnosceret, quae sunt in Aegypto in millibus servorum Dei, qui per eremum sancta societate vivunt, perfectionem praecepti Evangelici studentes tenere, quo dictum est: *Vis perfectus esse? Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni, sequere me* (Matth. 19, 21). Quanto enim

melius ibi secretius pascere et cubare, id est, requiescere Filius Dei diceretur, quam in turbis inquietis furiosorum circumcellionum[1]), quod malum Africae proprium est. Nam de Aegypto ita Isaïas prophetat: *Illo die erit altare Domini in regione aegyptiorum, et titulus ad fines eorum Domino, et erit in signum in aeternum Domino in regione aegyptiorum. Quoniam clamabunt ad Dominum adversus eos, qui eis pressuram faciebant: et mittet illis Dominus hominem, qui salvos eos faciet, judicans servabit eos. Et cognitus erit Dominus aegyptiis: et timebunt aegyptii Dominum in illo die, et facient sacrificia, et vota promittent Domino, et reddent. Et feriet Dominus aegyptios plaga, et sanabit eos sua misericordia, et convertentur ad Dominum, et exaudiet eos et sanabit eos* (Isai. 19, 19—22). Quid ad haec dicunt? Quare non communicant Ecclesiae, quae praedicta est, aegyptiorum? Aut si praefiguratione prophetica Aegyptus mundum significat, quare non communicant Ecclesiae orbis terrarum?

---

1) Cf. de *circumcellionibus* Possidium in vita s. Augustini c. 10. opusc. 8, 23.

42. *Donatistarum superbia.* — Proinde perscrutentur Scripturas, et contra tam multa testimonia, quibus ostenditur Ecclesia Christi toto terrarum orbe diffundi, vel unum proferant tam certum et tam manifestum quam illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi periisse de ceteris gentibus et in sola Africa remansisse, tamquam ab alio initio, non ab Jerusalem, sed a Carthagine, ubi primo episcopum contra episcopum levaverunt. Si autem velimus intelligere Donatum principem Tyri, quia Tyrus Carthago cognominata est[1]), quae in eum per Ezechielem prophetantur? Ubi eum maxime designat, quod ei dicitur: *Ostendam tibi, quia homo es et non Deus* (Ezech. 28, 9). Isti enim de hujus magis quam de Dei nomine gloriantur. Et cum solus Deus sine peccato sit, et sacerdos ille, qui interpellat pro nobis, quia et de ipso dictum est: *Quid est su-*

---

1) Carthago tyriorum colonia fuit, ut Tyrus sidoniorum. Unde Virgilius Aeneid. l. 1. v. 12, 13.: „Urbs antiqua fuit, tyrii tenuere coloni, Carthago.“ Et ab eodem Carthago Tyria et carthaginenses tyrii vocantur. Quin et in Is. 23., ubi Tyri eversio praedicitur, Septuaginta verterunt: *Ululate, naves Carthaginis.* Cf. Optatum, qui Ezechielis prophetiam similiter torquet in donatistas et principem Tyri Donatum intelligit l. 3. n. 3.

per omnia Deus benedictus in secula (Rom. 9, 5): isti Donati imitatores ita sine peccato se volunt videri, ut etiam justificatores hominum se asserant, et suum oleum quod non sit oleum peccatoris. Merito dicitur principi Tyri: *Dixisti, Deus sum: es autem homo, et non Deus* (Psal. 140, 5). Cui etiam dicitur: *Numquid tu melior quam Daniel* (Ezech. 28, 3)? Confitetur enim Daniel peccata sua et peccata populi sui (Dan. 9, 20): isti autem pertinentes ad principem Tyri, ideo se dicunt orantes audiri pro peccatis populi, quia ipsi sine peccato sunt. Merito dicitur principi Tyri: *Numquid tu melior quam Daniel?* Ecce nos possumus invenire aliquid proprium, et hoc malum maximum a capite Africae, id est, Carthagine exortum. Norunt enim homines, quam congruenter Tyrus pro Carthagine accipitur, et tamen non agimus talibus; fortassis enim aliquid aliud significet Tyrus: quanto magis meridies, cum et ipsa verba ad alium cogant intellectum?

43. *Donatistarum assertio adversatur verbis Christi.* — Sed quam non permittantur saltem quaerere aliquid, quo probent esse praedictum, deficientibus a fide christiana ceteris gentibus, in sola Africa Ecclesiam re-

mansuram: attendant illud quod saepe commemoravi: *Utraque crescere usque ad messem, et agrum esse mundum, messem finem seculi*, non nobis, sed ipso Domino interpretante parabolam suam. Est et aliud evidentissimum, quod eis omnino auferat laborem quaerendi, unde probent Ecclesiam mundo perdito ad solos afros redactam. Potest enim aliquid esse et non inveniri: non esse autem et inveniri, non potest. Desinant ergo quaerere quod invenire non poterunt, non quia occultum est, sed quia non est. Sunt enim adhuc nonnullae gentes, in quibus nondum est Evangelium praedicatum: necesse est autem impleri omnia, quae de Christo et Ecclesia praedicta sunt: oportet ergo et in eis praedicari. Quomodo ergo isti dicunt, jam esse completum quod Dominus ait: *Praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 47): sed postea ceteris deficientibus solam Christo Africam remansisse; cum adhuc illud implendum sit, nondum impletum sit? Cum autem impletum fuerit, veniet finis. Sic enim Dominus ait: *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis*

(Matth. 24, 14). Quomodo ergo, cum adimpleta esset fides omnium gentium, tunc perditio gentium, excepta Africa, consecuta est? Quandoquidem ipsa fides omnium gentium nondum adimpleta est.

Caput XVII. 44. *Absurda ex donatistarum opinione.* — Nisi forte hoc restat hominum insaniae, ut dicant, non ex illis ecclesiis, quae fundatae sunt per apostolorum labores, adimpleri praedicationem Evangelii in omnibus gentibus, sed illis pereuntibus, earum reparationem ex Africa futuram per partem Donati et residuarum gentium acquisitionem. Puto quod ipsi etiam rideant, cum hoc audiunt: et tamen nisi hoc dicant, quod erubescunt si dicant, non habent omnino quod dicant. Sed quid ad nos? Nemini invidemus. Hoc nobis legant de Scripturis sanctis, et credimus: hoc, inquam, nobis ex canone divinorum librorum legant, tot civitates, quae usque ad hodiernum diem baptismum per apostolos sibi consignatum tenuerunt, propter afrorum sibi incognita crimina periisse a fide Christi, et denuo baptizandas esse a parte Donati, atque inde ceteris gentibus, quae nondum audierunt, praedicandum Evangelium. Hoc nobis legant: quid morantur? quid tergiversantur?

quid impediunt salutem gentium? Legant hoc, et cum ipsa lectione novos apostolos mittant ad tot gentes rebaptizandas et ad residuas baptizandas.

45. *Donatistarum hypothesis de reparatione Ecclesiae per ipsos adversatur Scripturis.* — Sed plane videant, cum ad colossenses venerint, quomodo ibi vel legant vel audiant ad eos epistolam datam, ubi eis dicit Apostolus: *Gratias agimus Deo Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis deprecantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in omnes sanctos, propter spem, quae reposita est vobis in coelis, quam ante audistis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit in vos, sicut in omni mundo est fructificans et crescens, sicut et in vobis ex qua die audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate* (Coloss. 1, 3—5). Haec enim verba conveniunt cum Evangelio, ubi dictum est: *Simile est regnum coelorum homini seminanti bonum semen in agro suo* (Matth. 13, 24). Et postea exponitur ager esse hic mundus. Sicut enim hoc, ex quo seminatum est, crescere praedictum est usque ad messem: ita et Apostolus dicit: *In omni mundo fructificans et crescens, sicut et in vobis ex*

qua die audistis. Crescit autem usque in finem, quia usque ad messem. *Messis enim est finis seculi.* Dicent ergo non solum colossenses, ad quos data est, sed etiam ceteri omnes, apud quos legitur haec epistola, ubi per apostolicas literas constat bonum semen esse seminatum, et jam tunc crescere et fructificare coepisse, quid nobis affertis novi? Numquid iterum seminandum est bonum semen, quando ex quo seminatum est, crescit usque ad messem? Si dicitis periisse in illis locis quod erat per apostolos seminatum, et ideo esse rursus ex Africa seminandum, respondebitur: Legite nobis hoc ex divinis oraculis: quod profecto legere non potestis, nisi prius ostenderitis falsum esse quod scriptum est, semen illic ante seminatum *crescere usque ad messem.* Et quia nullo pacto sibi divina eloquia contradicunt, nullo modo in eis invenietis, quod contra hoc tam manifestum recitare possitis. Restat ergo ut non ex divinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissime respondebitur: Anathema sitis. Tenent enim ecclesiae apostolico labore fundatae cum quanta cura sibi praedictum sit: *Si quis vobis evangelizaverit praeterquam quod accepistis, anathema sit* (Gal. 1, 9).

Caput XVIII. 46. *Ipsa schismatis historia donatistae refutantur.* — Quoniam igitur in Scripturis sanctis Ecclesia manifeste cognoscitur incipiens ab Jerusalem, et per alias gentes crescens, donec omnes occupet usque in finem seculi, non autem sola frumenta, sed et purgamenta ejus commemorantur: prius correcti communicate frumentis, et tunc videbitis, quid in zizania vel paleam dicere debeatis. Alioquin et malos bonorum laudibus exornare, et bonos malorum criminibus accusare detestando errore cogimini. Nempe in manibus documenta gestamus, quibus probemus, majores vestros, quorum schisma sectamini, et municipalibus gestis sanctos libros ignibus tradidisse, et ecclesiasticis negare non potuisse, eosdemque inter judices fuisse illos, qui apud Carthaginem contra Caecilianum et collegas ejus absentes sententias contulerunt[1]). Nempe iidem leguntur gestis et municipalibus et ecclesiasticis traditores, qui postea proferuntur a vobis tamquam traditorum absentium damnatores. Nempe Nundinarius illius temporis diaconus vester, apud Zeno-

1) Cf. Optatum de schismate donatistarum l. 1. n. 13. ss.

philum consularem omnes Lucillae[1]) nundinas patefecit, quae damnationem Caeciliani emit ab episcopis, qui ei factus fuerat inimicus verum praedicans. Nempe ipsi postea literas ad Imperatorem Constantinum dederunt[2]), datisque ab eo, sicut petiverant, disceptatoribus episcopis non consenserunt, eosdemque postmodum apud illum tamquam iniquos judices accusaverunt, et ab aliis sibi ad Arelatum datis ad ipsum Imperatorem appellaverunt, eodemque inter partes audiente calumniatores inventi atque damnati, in eadem furoris pertinacia permanserunt. Nempe vos ipsi, qui propterea dicitis christianam sanctitatem de tot gentibus, in quibus apostoli eam fundatissimam reliquerunt, penitus esse deletam, quia communicaverunt eis, quos vestri majores septuaginta episcoporum concilio carthaginiensi damnaverant, nonne illis, quos trecenti decem bagaiensi concilio cum Maximiano damnastis, modo communicatis? Nonne Praetextatus

1) Cf. de hac femina factiosa Optatum ib. l. 1. n. 16.

2) Hae literae legi ibidem possunt l. 1. n. 22., item et Constantini responsum n. 23. Quae hic Augustinus paucis tantum attingit ib. n. 23. ss. fusius ab Optato narrantur.

assuritanus et in ipso concilio damnatus legitur, et gestis proconsularibus a vobis accusatus et oppugnatus; et tamen in quo damnatus erat, honore susceptus, et in vestra communione defunctus est? Nonne Felicianus mustitanus eodem modo, in eadem causa, eodem concilio damnatus ab episcopis, accusatus apud judices, postea receptus a vobis, nunc vobiscum episcopus vivit? Nonne illi, qui ab istis damnatis baptizati sunt, in eodem baptismo vobis modo communicant? Sed videlicet tot ecclesiae transmarinae apostolico labore fundatae, si communicaverint sacramenta cum eis, quos nec apud se accusatos ipsi damnarunt, et ab aliis postea purgatos et absolutos audierunt, amittunt salutem religionemque christianam: pars autem Donati et damnat quos voluerit, et in ipsa damnatione sacrilegia schismatis eorum sic exaggerat, ut illis, quos vivos terra sorbuit, comparare non dubitet, et eis rursus cum voluerit, in eodem honore susceptis communicat, et sancta atque integrâ perseverat. O regula juris numidici, o privilegia vagaïtana[1]). Et baptismus Christi ex-

1) *Vagaitana* pro bagaitana. Cf. de his nonnulla in annot. opusc. 8, 20. s. Saepe s. doctor in dona-

sufflatur in eis, qui eam in ecclesiis apcstolicis perceperunt, in eis autem quos *dam-*

---

tistas eorum agendi rationem retorquet, quae ei revera decretorium et plane invictum praebet argumentum, adeo ut ex gr. de baptismo l. 1. n. 8. affirmet: „Voluit Deus per maxiministas eam (controversiam catholicorum cum donatistis) finiri, ut quod caritate suadente nolebant, exemplo suo cogente fateantur.“ Defecerunt enim quamplurimi a Primiano donatistarum velut capite, eique opposuerunt Maximianum, quem in episcopum ordinarunt, inter quos ordinatores in primis numerabantur Felicianus episcopus mustitanus et Praetextatus assuritanus. Contra hos habitum est bagajense concilium 310 episcoporum, qui Primiano adhaerebant. Restitutus est Primianus in suam sedem, damnati sunt maximianistae, de quibus damnatis ita loquuntur episcopi illius concilii: „Quod veridica unda in asperos scopulos nonnullorum naufraga projecta sunt membra et aegyptiorum ad modum exemplo pereuntibus funeribus plena sunt litora, quibus in ipsa morte major est poena, quod post extortam aquis ultricibus animam, nec ipsam inveniant sepulturam.“ Illos quoque eis conferunt schismaticis, qui se opposuerunt Moy i ac vivi a terra absorpti sunt (Numer. 16). Ita vero in hos schismaticos concilium bagajense sententiam dixit, ut duodecim Maximiani ordinatoribus nullum concesserint reditus tempus, reliquis vero concederent deliberationis tempus usque ad Domini natalem diem, quo elapso et ipsi inciderent excommunicationis sententiam. Verum sectae amore nonnullos etiam post expletum praestituti temporis spatium admiserunt, imo et aliquot ex iis, quibus nullam concesserant

nati sacrilegi sicut in bagaitano concilio scriptum est, Praetextatus et Felicianus baptizaverunt, parcitur baptismo Christi; non quia baptismus Christi est, sed quia per eos datus est, qui a suis damnatoribus episcopi recedere, et ad suos damnatores episcopi redire meruerunt.

47. *Quomodo donatistae causam suam tueri debeant.* — Nempe haec omnia, quae

---

moram, etiam velut episcopos receperunt: nullis tamen eorum, quos iidem in schismate baptizaverant, iterum baptizatis. „Itaque nobis, fratres, scribit Augustinus ad catholicos l. 1. c. literas Petil. n. 15., hoc unum, quod maximianistis apud eos factum est, ad eos (donatistas) admonendos corrigendosque sufficiat: non vetera archiva discutimus, non antiqua armaria ventilamus, non ad longinquas terras nostram probationem transmittimus, sed sequestramus omnia nostrorum documenta majorum, differimus testimonia orbe clamantia. Ecce mustitana et assuritana civitates; supersunt adhuc in hac vita et in hac provincia qui se disjunxerunt et a quibus disjuncti sunt, qui altare erexerunt et contra quos erexerunt, qui damnarunt et qui damnati sunt, qui receperunt et qui recepti sunt; qui foris baptizati sunt et intus rebaptizati non sunt: si haec pro unitate maculant, maculati (scil. donatistae) comprimant vocem; si haec pro unitate non maculant, correcti auferant litem", qua se scil. ab universa Ecclesia catholica separant, ne hac communione polluantur, ut praetendere solebant.

jamdiu commemoro, regalibus literis et ecclesiasticis et municipalibus et proconsularibus gestis facta recitamus: tamen, o donatistae, si vos teneretis Ecclesiam toto orbe diffusam, quae manifestissimis canonicarum Scripturarum testimoniis designata et expressa est, nihil adversus vos omnia ista valere deberent: quia neque vobis paleae crimina praejudicarent, si vos in ea triticum essetis; nec si vos essetis palea et vestra essent crimina, tritico dominicae segetis aliquid praejudicaretis, quod ita in agro Domini seminatum est, ut crescat usque in finem seculi. Eo ergo modo si forte, quod adhuc nobis nunquam probastis, adversus paleam nostram talia documenta gereretis, nos autem adversus vos tanta ista, quae commemoravi, non haberemus: etiam sic nihil frumentis nostris toto orbe diffusis omnino praejudicaret quidquid in eorum paleam, quamvis verissimum, quamvis manifestissimum, quamvis probatissimum diceretis. Proinde removeantur omnes moratoriae tergiversationes. Quidquid de peccatis hominum falsum objicitur, conveniatur conscientia et non objiciatur. Quidquid de peccatis hominum etiam verum objicitur, et vel probari non potest, vel cum debuit probari,

non potuit[1]), non objiciatur. Quidquid de peccatis hominum et verum et probatum objicitur, nec tamen ad frumenta, quae inter paleam latent, sed ad ipsam paleam, quae in fine separabitur, pertinet, non objiciatur. Haec enim et nos multo copiosius et probabilius objicere possumus, non ea inanitate qua illi, ut in eis causam nostram constituamus: sed ut eis ostendamus, non ideo nos nolle talibus fidere, quia non invenimus talia quae dicamus, sed ne tempus rebus necessariis utile, in rebus non necessariis conteramus. Quod propterea illi faciunt, quia robusta et firma veritate subnixa documenta, quibus causam suam tueantur, invenire non possunt; et volunt videri aliquid dicere, dum tacere erubescunt, et inania loqui non erubescunt. Remotis ergo omnibus talibus Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus et rumoribus afrorum, non in conciliis episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis et prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini praeparati et cauti

1) Ut crimina, quae donatistae Caeciliani ordinatoribus objicere solebant, sed nunquam probare poterant.

redditi sumus: sed in praescripto legis, in prophetarum praedictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius unius Pastoris vocibus, in evangelistarum praedicationibus et laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum auctoritatibus. Nec ita, ut ea colligant et commemorent, quae obscure vel ambigue, vel figurâte dicta sunt, quae quisque sicut voluerit, interpretetur secundum sensum suum. Talia enim recte intelligi exponique non possunt, nisi prius ea, quae apertissime dicta sunt, firma fide teneantur.

48. *De quo sit quaestio.* — Quisquis ergo huic epistolae respondere se praeparat, ante denuncio, ne mihi dicat: Illi codices dominicos ignibus tradiderunt, illi simulacris gentium sacrificaverunt, illi nobis iniquissimam persecutionem fecerunt, et vos eis in omnibus consensistis. Breviter enim respondeo, quod saepe respondi: Aut falsa dicitis, aut si vera sunt, non ad frumenta Christi, sed ad eorum paleam pertinent istā quae dicitis. Non inde perit Ecclesia, quae ultimo judicio ventilata, istorum omnium separatione purgabitur. Ego ipsam Ecclesiam requiro, ubi sit, quae audiendo verba Christi et faciendo aedificat super petram (Matth. 7, 24), et audiendo et faciendo tole-

rat eos, qui audiendo et non faciendo aedificant super arenam: ubi sit triticum, quod inter zizania crescit usque ad messem (Id. 13, 30); non quid fecerint vel faciant ipsa zizania: ubi sit proxima Christi in medio filiarum malarum (Cant. 2, 2), sicut lilium in medio spinarum; non quid fecerint vel faciant ipsae spinae: ubi sint pisces boni (Matth. 13, 47), qui donec ad litus perveniant, tolerant pisces malos pariter irretitos; non quid fecerint vel quid faciant ipsi pisces mali.

Caput XIX. 49. *Quid praestandum ei, qui huic epistolae respondere velit.* — Omissis ergo istis morarum tendiculis ostendat Ecclesiam vel in sola Africa, perditis tot gentibus, retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam: et sic ostendat, ut non dicat: Verum est, quia hoc ego dico, aut quia hoc dixit ille collega meus, aut illi collegae mei, aut illi episcopi, vel clerici, vel laici nostri; aut ideo verum est, quia illa et illa mirabilia fecit Donarus vel Pontius[1]), vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum

1) Pontius hic videtur fuisse donatista quidam, qui miracula patrasse jactabatur, cujus etiam memi-

nostrorum orant, et exaudiuntur, aut quia illa et illa ibi contingunt, aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quae dicuntur, aut si haereticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus: quod cum dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans, et ait: *Ecce praedixi vobis* (Matth. 24, 25). Unde et Apostolus admonens: *Spiritus*, inquit, *manifeste dicit*, *quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide*, *intendentes spiritibus seductoribus et doctrinis daemoniorum* (1. Tim. 4, 1). Porro si aliquis in haereticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui recipit sive bonum, sive malum. *Spiritus enim Domini*, sicut scriptum est, *replevit orbem terrarum*. Et: *Auris zeli audit om-*

---

nit tract. 13. in Joan. n. 17. — *Memoriae* martyrum erant horum sepulcra, ubi fideles eorum solebant memoriam quotannis recolere.

nia (Sap. 1, 7. et 10). Et multi irato Deo exaudiuntur: de qualibus dicit Apostolus: *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum* (Rom. 1, 24). Et multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est, tribuat. Unde idem Apostolus ait de stimulo carnis suae, angelo satanae, quem sibi datum dicit, a quo colaphizaretur, ne magnitudine revelationum extolleretur: *Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (2. Cor. 12, 7). Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Judaeae, quae tamen excelsa ita displicebant Deo, ut et reges qui ea non everterent, culparentur, et qui everterent, laudarentur? Unde intelligitur magis valere petentis affectum, quam petitionis locum. De visis autem fallacibus legant quae scripta sunt, et quia ipse satanas transfigurat se tamquam angelum lucis (Id. 11, 14), et quia multos seduxerunt somnia sua (Eccli. 34, 7). Audiant etiam quae narrent pagani de templis et diis suis mirabiliter vel facta vel visa: et tamen *Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit* (Psal. 105, 5). Exaudiuntur ergo multi et multis modis,

non solum christiani catholici, sed et pagani, et judaei, et haeretici, variis erroribus et superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel ab spiritibus seductoribus; qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur Deo sublimiter atque ineffabiliter judicante quid cuique tribuendum sit: sive ab ipso Deo, vel ad poenam malitiae, vel ad solatium miseriae, vel ad admonitionem quaerendae salutis aeternae. Ad ipsam vero salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in Scripturis sanctis canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus, et opinionibus, et factis, et dictis, et visis inquirere[1]).

50. *Donatistae ex Scripturis probent,*

---

1) Ne tamen haec praepostere accipiantur ac inde inferatur nullam secundum Augustinum vim probandi religionem christianam inesse miraculis, advertatur 1. in hac quaestione, ubi sit vera Christi Ecclesia, utrum apud catholicos an apud donatistas, merito potuisse Augustinum seponere signa mira et visa, cum ea facillime posset dirimi ex Scripturis, quas utraque pars venerabatur et quae tam clare inculcant, characterem Ecclesiae proprium esse per orbem diffusionem, catholicitatem, qua evidenter dona-

apud se esse Ecclesiam. — Nemo mihi ergo haec opponat, qui mihi respondere paratus est: quia nec ego dico ideo mihi esse credendum, communionem Donati non esse Ecclesiam Christi, quia quidam, qui apud eos episcopi fuerunt, divina instrumenta ignibus tradidisse, gestis ecclesiasticis et municipalibus et judicialibus convincuntur; aut quia in judicio episcoporum, quod ab Imperatore petiverant, causam suam non obtinuerunt; aut quia provocantes ad ipsum Imperatorem, etiam ab ipso contrariam sibi

---

tistae destituebantur. 2. Augustinus seponit non miracula evidentia, manifesta, publica, sed facta mira, qualia jactabant donatistae, exauditiones ad martyrum sepulcra, visa singularia feminarum, dormientium: haec vero nemine refragante admodum sunt dubia et infirma, quia concessa etiam horum veritate historica, vix probari potest eorum veritas philosophica, quod facta sint vere súpernaturalia ab uno Deo profecta. Ceterum 3. Augustinus vim probandi non denegat factis publicis, manifestis, quae veri miraculi characteres clare prae se ferunt, ut patet ex ejus opere de civitate Dei, ubi ex miraculis religionis christianae veritatem confirmat. Cf. l. 22. c. 5. ss. Hic relatis quam plurimis miraculis narrationem absolvit hisce verbis (c. 9.): „Cui nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua praedicatur Christus resurrexisse in carne et in coelum ascendisse in carne?“

sententiam meruerunt; aut quia tales sunt apud eos circumcellionum principes; aut quia tanta mala committunt circumcelliones; aut quia sunt apud eos, qui se per abrupta praecipitent, vel concremandos ignibus inferant, quos ipsi sibimet accenderunt, aut trucidationem suam etiam invitis hominibus terrendo extorqueant, et tot spontaneas et furiosas mortes, ut colantur ab hominibus, appetant; aut quod ad eorum sepulcra ebriosi greges vagorum et vagarum permixta nequitia die noctuque se vino sepeliant flagitiisque corrumpant. Sit ista omnis turba palea eorum, nec frumentis praejudicet, si ipsi Ecclesiam tenent. Sed utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant; quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus, commendavit milevitanus Optatus, vel mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostrae communionis episcopi; aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa praedicata est; aut quia per totum orbem in locis sanctis, quae frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt, ita ut latentia per tot annos corpora

martyrum[1]), quod possunt a multis interrogantes audire, Ambrosio fuerint revelata, et ad ipsa corpora coecus multorum annorum civitati mediolanensi notissimus oculos lumenque receperit; aut quia ille somnium vidit, et ille in spiritu assumptus audivit, sive ne iret in partem Donati, sive ut recederet a parte Donati. Quaecunque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia haec in ea fiunt. Ipse Dominus Jesus cum resurrexisset a mor-

---

1) *Martyrum* i. e. Protasii et Gervasii. Cf. de civit. Dei l. 22. c. 8. et Confess. l. 9. c. 7. Quae dein de hisce miraculis infra dicit: „Quaecunque talia in Catholica (scil. Ecclesia, quae simpliciter *Catholica* dicebatur) etc.“ secundum dicta annot. praecedenti accipi debent. Noluit scil. in controversia cum donatistis, relictis argumentis evidentibus ex Scripturis, confugere ad quaestionem sat spinosam de miraculis, quum etiam pro sua secta donatistae jactarent miracula. Nam ut ait de civit. Dei l. 22. c. 8. n. 1. miracula, quae subinde in Ecclesia contingunt „ubicunque fiunt, ibi sciuntur vix a tota ipsa civitate vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt ignorantibus ceteris, maxime si magna sit civitas; et quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas (sicut miracula, quae testatur Scriptura divina), ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis christianis fidelibus a fidelibus indicentur.“

tuis, et discipulorum oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciae se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis Legis et prophetarum et psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens ea de se impleta, quae fuerant tanto ante praedicta. Sic et Ecclesiam suam commendavit dicens: *Praedicari in nomine suo poenitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 47). Hoc in Lege, et prophetis, et psalmis esse scriptum ipse testatus est: hoc ejus ore commendatum tenemus. Haec sunt causae nostrae documenta, haec fundamenta, haec firmamenta.

51. *Donatistae proferre debent pro se testimonia evidentia.* — Legimus in Actibus apostolorum dictum de quibusdam credentibus, quod quotidie scrutarentur Scripturas, an haec ita se haberent (Act. 17, 11): quas utique Scripturas, nisi canonicas Legis et prophetarum? Huc accesserunt Evangelia, apostolicae epistolae, Actus apostolorum, Apocalypsis Joannis. Scrutamini haec omnia, et eruite aliquid manifestum, quo demonstretis Ecclesiam vel in sola Africa remansisse, vel ex Africa futurum esse, ut impleatur quod Dominus dicit: *Praedicabitur*

hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis (Matth. 24, 14). Sed aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec unde convincamini quod de alia re dictum sit, et vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Videtis enim unicum illud quod proferre consuestis: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie* (Cant. 1, 6): quemadmodum excussis omnibus ejusdem loci verbis, longe aliud indicat quam vos putatis. Et si hoc sonaret quod vultis, maximianistae vos in eo vincerent. Magis enim meridies Provincia, Byzacium, Tripolis, ubi illi sunt quicunque sunt, quam Numidia, ubi vos praepolletis. Ita ergo ipsi germanius et distinctius possunt de meridie gloriari, ut eos excludere ab hac sententia non possitis, nisi in illis verbis verum sensum et catholicum teneatis, ostendentes, eis secundum quatuor angulos orbis terrarum ab Austro magis quam ab Africo esse meridiem; secundum figuratas autem Scripturarum locutiones, perfectam mentis illuminationem fervoremque maximum caritatis vocari meridiem; unde scriptum est: *Et tenebrae tuae tamquam meridies erunt* (Isai. 58, 10). Aliquid ergo proferte, quod non contra vos verius inter-

pretetur; sed quod interprete omnino non egeat. Sicut non eget interprete: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Gen. 22, 18. et Gal. 3, 16): quia semen Abrahae Christum non ego, sed Apostolus interpretatur. Sicut non eget interprete: *Tu enim vocaberis voluntas mea, et terra tua orbis terrarum* (Isai. 62, 4): quia ei dicitur, quam nemo christianus nisi Ecclesiam Christi intelligit. Sicut non eget interprete: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae patriae gentium; quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gentium* (Psal. 21, 28): quia in eo Psalmo dicitur, ubi passio Domini etiam teste Evangelio declaratur (Matth. 27, 35. et Joan. 19, 23). Sicut non eget interprete: *Quia oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 46). Sicut non eget interprete: *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram* (Act. 1, 8). Coepisse enim Ecclesiam ab Jerusalem, atque inde isse circum Judaeam et Sa-

māriām, et ceterās gentes, consequentia gesta testantur canonicis firmata documentis. Sicut non eget interprete: *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis* (Matth. 24, 14). Interrogatus enim Dominus de fine hujus seculi, cum quaedam *initia parturitionum* dixisset, ait: *Sed nondum est finis.* Finem autem futurum praedixit post praedicationem Evangelii in universo orbe in omnibus gentibus. Sicut non eget interprete: *Sinite utraque crescere usque ad messem* (Id. 13, 30): quia cum egeret interprete, ipse Dominus interpretatus est; et ipse exposuit, cui nemo contradicere potest, maxime in ea parabola, quae ab illo prolata est: et ipse ait, bonum semen esse filios regni, agrum mundum, messem finem seculi. Tale aliquid proferte vel unum, quo apertissime Africa declaretur, vel in reliquis sola derelicta, vel ad principium renovandi et implendi orbis sola servata. Neque enim tot testimoniis commendaretur quod erat cito periturum, et sic taceretur, aut quod solum esset relinquendum, aut ex quo solo totum esset reparandum et implendum. Si autem non potestis, quod tam juste a vobis flagitamus, ostendere; cedite veritati, conti-

cescite, obdormiscite, a furore expergiscimini in salutem.

52. *Quare catholici solliciti sint de donatistis.* — An adhuc dicitis: Si apud vos est Ecclesia, ut quid nos ad ejus pacem persequendo compellitis? aut si mali sumus, quid nos quaeritis? Et si zizania sumus, sinite nos crescere usque ad messem? Quasi nos, quibus modis possumus, aliud agamus, nisi ne triticum simul eradicetur, dum ante tempus zizania separantur. Quicunque enim boni in aeternum futuri sunt, etsi ad tempus mali sunt, non zizania, sed triticum sunt in praescientia Dei. Sic autem nos accusatis, quare vos quaeramus si mali estis, quasi non in eo perieritis quo mali estis, et ideo sitis quaerendi, quia periistis, ut perditi quaeramini, quaesiti inveniamini, inventi revocemini, sicut illa ovis a pastore (Luc. 15), sicut illa drachma a muliere, sicut ille filius, qui mortuus erat et revixit, perierat et inventus est. Ille vos enim quaerit, qui in sanctis habitat, et imperat ut quaeramini.

Caput XX. 53. *Non omnis persecutio culpanda.* — De persecutione autem vestra querela sedabitur, si cogitetis et intelligatis prius, non omnem persecutionem esse culpabilem: alioquin non laudabiliter diceretur:

Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar (Psal. 100, 5). Nam quotidie videmus et filium de patre tamquam de persecutore suo conqueri, et conjugem de marito, et servum de domino, et colonum de possessore, et reum de judice, et militem vel provincialem de duce vel rege; cum illi plerumque ordinatissima potestate sibi homines subditos per terrores leviorum poenarum a gravioribus malis prohibeant atque compescant; plerumque autem a bona vita et a bonis factis minando et saeviendo deterreant: sed cum a malo et illicito prohibent, correctores et consultores sunt; cum autem a bono et licito, persecutores et oppressores sunt. Culpantur etiam qui prohibent a malo, si modum peccati modus coercitionis excedat. Item jure culpandi sunt, qui turbide atque inordinate in eos coercendos insiliunt, qui nulla sibi lege subjecti sunt.

54. *Cum iniqui in se provocant legum rigorem, inepte de persecutione conqueruntur.* — Proinde circumcellionum vestrorum inordinatas licentias et superbas insanias juste reprehendimus, etiam cum aliquibus pessimis violenti sunt: quia illicita illicite vindicare, et ab illicitis illicite deterrere, non est bonum. Cum vero et innocentes vel

causā incognita, vel iniquissimis inimicitiis persequuntur, quis eorum sceleratissima latrocinia non perhorrescat? At vero quod maximianistarum furorem legibus publicis coercendum putastis, ut eos per jussa judicum et exsecutionem officiorum et auxilia civitatum pulsos de basilicis quas tenebant, ad considerationem sui sceleris urgeretis, non reprehendimus; nisi quia hoc in eis insectati estis, quod ipsi fecistis, imo multo levius quam fecistis. Illi enim adversus partem Donati, vos autem adversus orbem terrarum, et adversus ejus verba, qui Ecclesiam suam incipientem ab Jerusalem per omnes gentes commendavit, sacrilegae dissensionis altare erexistis. Porro si maximianistae jussionibus judicum adversus se impetratis illicite et furiose resistere auderent, nonne ipsi sibi judicium acquirerent? dicente Apostolo: *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi judicium acquirunt. Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo* (Rom. 13, 2). Cum ergo eorum malum opus existeret, quod vos per ordinatas potestates cohibere conabamini; si vellent illi pro ipso malo opere suo, pejore opere legibus adversari; numquid a vobis, et non

a se ipsis, quidquid eis mali accideret, paterentur? Quemadmodum quicunque voluisset dicere blasphemiam in Deum Sidrach, Misach et Abdenago, et secundum edictum regis cum domo sua disperderetur (Dan. 3, 96); numquid hoc ab ipsis tribus viris, quibus de igne liberatis rex commotus illud edixerat, aut vero etiam ab ipso rege, ac non potius a se ipsis illa digna mala paterentur? Si etiam quadraginta illi judaei, qui Paulum interficere conjuraverant, in armatos, a quibus ordinatā tuitione idem Paulus deducebatur (Act. 23, 12, 33), irruissent; numquid eos Paulus, ac non se ipsi potestatibus resistendo peremissent?

55. *Donatistae ipsi legum in eos latarum sunt causa.* — Quapropter et vos sine tumultu animi, sine turbulenta contentione, sine amaritudine odiorum considerate diligenter ea, quae contra vos reges nostrae communionis constituunt, qua causa patiamini. Et si vos in Ecclesia Christi esse inveneritis, *gaudete et ex ultate, quia merces vestra multa est in coelis* (Matth. 5, 12). Vos enim tamquam martyres coronamini, illi autem tamquam persecutores martyrum judicantur. Si autem vos contra Ecclesiam Christi áltare erexisse, et a christiana uni-

tate, quae toto orbe diffunditur, sacrilego schismate separatos esse, et corpori Christi, quod est Ecclesia toto orbe diffusa, et rebaptizando et blasphemando, et quantum potestis oppugnando, adversari sancta et canonica Scriptura convincit; vos impii atque sacrilegi, illi autem qui vos pro tanto scelere tam leniter damnorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniae privatione deterrendos coercendosque decernunt, ut cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitum fugiatis, et ab aeterna damnatione liberemini, et rectores diligentissimi, et consultores piissimi deputantur. Hanc vobis dilectionem debent christiani catholici Imperatores, ut sacrilegia vestra, et propter christianam mansuetudinem non pro merito punienda decernant, et propter christianam sollicitudinem non omnino impunita dimittant. Hoc in eis Deus operatur, cujus misericordiam etiam in his molestiis, de quibus conquerimini, non vultis agnoscere. Nos autem, quantum in nobis est, quantum Dominus donat atque permittit, nec ipsas leges lenissimae coercitionis adversus vos movemus, nisi ut Ecclesia catholica propter infirmorum fragilitatem, ut eis liceat sine timore eligere quid teneant

vel sequantur, a vestris terroribus libera praestetur: ut si aliquid vestri in nostros violenter fecerint, tunc vos, quos tamquam obsides in fundis et in civitatibus habemus, non qualia vestri faciunt, patiamini, sed per ordinata judicia subjecti legibus damno pecuniario vapuletis. Quod si vobis grave videtur, vestri nobis parcant et quiescant. Si autem in nos non quiescendo illi saeviunt, qui vel sub vobis vel vobiscum sunt, quod de nobis conqueramini non habetis, qui in vestra, vel vestrorum potestate posuimus, ut etiam sectantes haeresem vestram, nulla damna patiamini, si nullas Catholica sive a vobis, sibi a vestris violentias patiatur. Quod si aliquae factae fuerint, vobis invitis et compescere non valentibus, misericorditer ipsis damnis et juste admonemini, quales habeatis a quibus vos contaminari non putatis, atque hinc intelligere cogimini, quam inanes calumnias Ecclesiae Christi toto orbe diffusae faciatis. Neque jam nobis objiciatis, quod persequimur vos; sed vestris potius, si et nos suis violentiis infestari, et vos publicis legibus malunt conteri, quam se a solito furore sedari. Si quid sane a nostris christianae caritatis modum votumque non custodientibus odiose et perniciose patimini,

non esse illos nostros cito dixerim, sed aut futuros, si se correxerint, aut in fine separandos, si in malitia perdurarint: nos tamen nec propter pisces malos retia rumpimus (Matth. 13, 47), nec propter vasa in contumeliam facta domum magnam deserimus (2. Tim. 2, 20). Quod si vos quoque illos, a quibus talia Catholica patitur, non esse vestros eadem regula dicitis: probate animum vestrum, corrigite errorem, amplectimini unitatem spiritus in vinculo pacis. Nam si nec vos illi contaminant, nec nos isti; non nobis invicem alienis criminibus calumniemur: in una caritate frumenta crescamus simul, usque ad ventilabrum paleam toleremus.

56. *Injusta donatistarum de persecutione querela.* — Quamobrem si nullo interprete indigent canonicarum Scripturarum testimonia, quae commendant Ecclesiam in totius orbis communione consistere, et separationi vestrae in Africa constitutae ex iisdem libris nulla talia potestis invenire suffragia, nec juste de persecutionibus conquerimini, quas graviores ipsa perpetitur, quo latius diffunditur, ac fide, et spe, et caritate omnia tolerat, non tantum talia, qualia vestri circumcelliones et eorum similes ubi possunt membris ejus infligunt, sed omnia

variarum iniquitatum scandala per universum mundum scatentia, de quibus Dominus exclamavit: *Vae mundo ab scandalis* (Matth. 18, 7): gravius enim persequitur filius patrem male vivendo, quam pater filium castigando; et gravius ancilla Saram persecuta est per iniquam superbiam (Gen. 16, 4), quam eam Sara per debitam disciplinam; et gravius Dominum persequebantur, propter quos dictum est: *Zelus domus tuae comedit me* (Psal. 68, 10), quam eos ipse cum eorum mensas evertit, et eos flagello de templo expulit (Joan. 2, 15): quid habetis amplius quod dicatis?

Caput XXI. 57. *Quomodo Ecclesia suscipiat donatistas.* — An illud ultimum vestrum, jam placet, in medium proferamus? Ecce, inquiunt, vos tenetis Ecclesiam. Quomodo nos suscipitis, si ad vos transire voluerimus? Breviter respondeo: Sic vos suscipimus, quomodo suscipit Ecclesia, quam in sanctis libris canonicis invenimus. Deposita quippe animositate contradicendi, qua tument omnes, qui veritate Dei vinci nolunt et sua perversitate vincuntur, facile potestis intelligere et in bonis esse et in malis sacramenta divina; sed in illis ad salutem, in malis ad damnationem. Et cum

tantum distet inter eos, qui haec digne indigneque tractaverint, ipsa tamen eadem sunt, illis ad praemium valentia, illis ad judicium.

58. *Idem baptismus Christi per bonos et malos ministros dispositis et indispositis confertur.* — Quapropter quando plures quam Joannes Dominus baptizabat, sicut in Evangelio scriptum est, ubi subjecit Evangelista: *Quamvis ipse non baptizabat, sed discipuli ejus* (Joan. 4, 2): cum tantum distaret inter Petrum et Judam, nihil tamen distabat inter baptismum, qui dabatur per Petrum, et qui dabatur per Judam. Illud enim quod per eos dabatur, unum erat, cum ipsi non essent unum: et illud Christi erat, illorum autem unus ad membra Christi, alter ad partem diaboli pertinebat. Cum vero Joannes Baptista et Paulus apostolus unum essent, quia uterque sponsi amicus erat, tamen quia non erat unus baptismus qui dabatur a Joanne, et qui dabatur a Paulo, jussit Paulus Christi baptismo baptizari eos, qui baptismo Joannis fuerant baptizati. Itaque ille baptismus Joannis dictus est; qui autem per Paulum datus est, non est dictus baptismus Pauli, sed *jussit eos*, inquit, *baptizari in Christo* (Act. 19, 4). Ecce unum

sunt Joannes et Paulus, et non unum dant: ecce non sunt unum Petrus et Judas, et unum dant: at vero Petrus et Paulus et unum sunt, et unum dant. Abraham et Cornelius ex fide justificati unum sunt, et non unum sacramentum acceperunt: itemque Cornelius et Simon magus non sunt unum (Id. 10, 48 et 8, 13), et unum sacramentum acceperunt: at vero Cornelius, et ille spado, quem Philippus in itinere baptizavit (Act. 8, 38), et unum sunt, et unum sacramentum acceperunt. Cum ergo unum est sacramentum, nec diversi datores, nec diversi perceptores faciunt, ut non sit unum quod unum est.

59. *Baptismus Christi non mutatur pro qualitate ministri.* — Isti autem, dum volunt hominum esse quod Christi est, res falsissimas et absurdissimas persuadere conantur, ut prope tot sint baptismi, quot homines per quos dantur. Itaque illud, quod Dominus ait de homine et opere hominis: *Arbor bona bonos fructus facit, arbor mala malos fructus facit* (Matth. 7, 17), isti ad hoc detorquere conantur, ut a bono baptizatus bonus sit, et a malo baptizatus malus sit. Unde sequitur eos, etiamsi nolint, ut a meliore baptizatus melior sit, et ab inferiore baptizatus inferior sit. Ex quo fit, ut illi

quos ante Domini passionem non ipse Jesus baptizabat, sed discipuli ejus, multo sanctius nascerentur, si ab ipso baptizarentur. Quis enim vel cogitare possit, quantum intererat inter ipsum et discipulos ejus, a quibus baptizabantur? Ergo invidit eis sanctiorem generationem, quos a discipulis suis sese hic constituto maluit baptizari? Quod utique quisquis credit, insanus est. Quid ergo Dominus eo ipso demonstrare dignatus est, nisi suum esse quod daretur, per quemlibet daretur; et se baptizare de quo amicus ille sponsi dixerat: *Hic est qui baptizat* (Joan. 1, 33); per cujuslibet manus ministri baptizaretur, qui credidisset in eum? Dicit etiam Paulus: *Gratias Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Gajum, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizavi* (1. Cor. 1, 14). Et iste ergo credatur invidisse hominibus meliorem sanctificationem, si quanto melior erat, tanto melius poterant baptizari, qui ab illo baptizarentur. Imo vero ad hoc ipsum vigilavit cautissimi et fidelissimi dispensatoris intentio, ne quisquam ideo sanctius se baptizatum putaret, quod a ministro sanctiore baptizaretur, et quod Domini erät, servo tribueret.

60. *Quibus prosit baptismus.* — Cum

igitur boni et mali dent et accipiant baptismi sacramentum, nec regenerati spiritaliter in corpus et membra Christi coaedificentur nisi boni; profecto in bonis est illa Ecclesia, cui dicitur: *Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum* (Cant. 2, 2). In his est enim, qui aedificant super petram, id est, qui audiunt verba Christi et faciunt: quia et Petro confitenti se Christum Filium Dei, sic ait: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18). Non est ergo in eis, qui aedificant super arenam, id est, qui audiunt verba Christi, et non faciunt. Ipse enim dixit: *Qui audit verba mea haec, et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificat domum suam super petram* (Matth. 7, 24). Et ibidem paulo post: *Qui audit*, inquit, *verba mea haec, et non facit ea, similabo eum viro stulto, qui aedificat domum suam super arenam.* Qui ergo compage caritatis incorporati sunt aedificio super petram constituto, et lilio inter spinas candenti, ipsi utique possidebunt regnum Dei. Qui autem super arenam aedificant, vel in spinis deputantur, quis dubitaverit, quod regnum Dei non possidebunt? Nihil utique talibus prodest baptismi sacramentum: nec tamen

propter eorum instabile fundamentum sterilemque malitiam, etiam sacramento quod habent, ulla injuria facienda est.

Caput XXII. 61. *Donatistarum inconstantia.* — Proinde in loco illo ex epistola Pauli apostoli, quam scripsit ad galatas, sine studio contentionis advertite, quam recte fiat, ut haereticum corrigentes errorem, si sacramentum hoc habent quod habere debuerunt, illud accipiant quod eis deerat, non improbetur et blasphemetur quod inerat. *Manifesta,* inquit, *sunt opera carnis, quae sunt fornicationes, immunditiae, luxuriae, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, haereses, invidiae, ebrietates, comessationes, et his similia, quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. 5, 19). Omnes itaque isti non sunt in lilio, nec super petram: inter hos autem et haeretici positi sunt. Cur ergo vos, ut omittam cetera, non baptizatis post ebriosos, luxuriosos, invidos, qui regnum Dei non possidebunt, et ideo in petra non sunt; et quia in petra non sunt, procul dubio in Ecclesia non deputantur[1]); quia *super hanc petram,*

1) *In Ecclesia non deputantur.* Ebriosi, luxu-

inquit, *aedificabo Ecclesiam meam:* et nos vultis ut baptizemus post haereticos, qui inter easdem spinas regnum Dei non possessuras enumerati sunt, et quibus similiter sacramenta insunt, quando eadem sunt; sed non prosunt, quia cum illa recta sint, ipsi perversi sunt?

62. *Ad salutem requiritur baptismus et justitia.* — Haec sine pertinacia considerantes atque cogitantes, facile potestis intelligere, id in quoque corrigendum esse quod pravum est, quod autem rectum est, appro-

---

riosi etc. fideles in Ecclesia visibili quidem sunt, ut toties Augustinus docet, sed quadantenus de Ecclesia non sunt: non enim spectant ad Ecclesiam ut membra *viva*, sed ut membra mortua, et quatenus peccatores sunt, tantum abest, ut ad Ecclesiam spectent, ut se potius Ecclesiae influxui et vitae subtrahant. Hoc sensu non sunt in lilio, quod est Ecclesia (si Ecclesia lilium *formaliter* spectetur), non sunt supra petram: et hoc sensu quaedam comparatio institui potest inter peccatores fideles et haereticos. Ceterum argumentum adversus donatistas est invictum. Si enim ideo rejiciunt baptismum ab haeretico collatum, quod is vitam supernaturalem, gratiam etc. qua caret, utpote spiritualiter mortuus, conferre aliis nequeat, deberent etiam rejicere baptismum ab ebriosis, luxuriosis etc. collatum, cum et hi vita careant supernaturali et sub hoc respectu haereticis sint aequales.

bandum; et hoc dandum esse quod deerit, quod autem inerit, agnoscendum. Veniens itaque haereticus ut catholicus fiat, errorem corrigat proprium, non Christi violet sacramentum: accipiat vinculum pacis quod non habebat, sine quo illi prodesse non poterat baptisma quod habebat. Utrumque enim necessarium est ad regnum Dei adipiscendum, et baptismus et justitia. Et in contemptore quidem baptismi Christi non potest esse justitia: baptismus autem et in eo qui justitiam non habet, potest esse, sed non potest prodesse. Sicut enim Veritas dixit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum* (Joan. 3, 3): ita eadem Veritas dixit: *Nisi abundaverit justitia vestra super scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum* (Matth. 3, 20): ut non baptismus solus, sed etiam justitia perducat ad regnum; cui autem vel utrumque, vel unum defuerit, illuc pervenire non possit. Quapropter cum dicatur haereticis, justitia vobis deest, quam sine caritate ac vinculo pacis habere nullus potest: cumque et ipsi fateantur, multos baptismum habere, et justitiam non habere, et si non fateantur, eos convincat Scriptura divina: miror quomodo putent, cum eos ha-

bentes non suum, sed Christi baptismum, iterum nolumus baptizare, ita nos agere, ac si eis jam nihil deesse judicemus; et quia baptismus eis in Catholica non datur, quem habere inveniuntur, nihil se illic accipere arbitrentur, ubi hoc accipiunt, sine quo illud quod habent, eis ad perniciem valeat, non ad salutem. Quod si nolunt intelligere, sufficit nobis quod eam tenemus Ecclesiam, quae manifestissimis sanctarum et canonicarum Scripturarum testimoniis demonstratur.

63. *In recipiendis haereticis servanda Ecclesiae praxis.* — Dicat mihi nunc haereticus: Quomodo me suscipis? Cito respondeo: Sicut suscipit Ecclesia, cui Christus perhibet testimonium. Numquid tu melius potes nosse quomodo suscipiendus sis, quam Salvator noster medicus vulneris tui? Hic forte dicis: Lege mihi ergo quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab haereticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc áperte atque evidenter, nec ego lego, nec tu. Si enim haereticus esset Joannes, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizaret, post cujus baptismum jussit Paulus homines baptizari; tu obtineres quod dicis, ita ut contra quid dicerem, non haberem.

Rursus si Petrus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ab haereticis baptizatus fuisset, cui Dominus ait: *Qui lotus est semel, non habet necesitatem iterum lavandi* (Joan. 13, 10): ego obtinerem quod dico, ita ut tu contra quid diceres, non haberes. Nunc vero cum in Scripturis non inveniamus aliquos ad Ecclesiam transisse ab haereticis, et sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos; puto si aliquis sapiens exstitisset, cui Dominus Christus testimonium perhiberet, et de hac quaestione consuleretur a nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixisset, ne non tam ipsi quam Domino Christo, cujus testimonio commendabatur, repugnare judicaremur. Perhibet autem testimonium Christus Ecclesiae suae. Ecce Evangelium, lege ubi ait: *Oportebat Christum pati*, *et resurgere tertia die*, *et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. 24, 46). Quomodo ergo suscipit ista Ecclesia per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem, remotis omnibus ambagibus et tergiversationibus, sic suscipiendus es. Quod si non vis, non mihi, aut cuiquam hominum, qui te vult ita suscipere, sed ipsi Salvatori contra salu-

tem tuam perniciosissime reluctàris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodum suscipit illa Ecclesia, quam testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere.

Caput XXIII. 64. *Testimonium ex Jeremia exponitur.* — At enim dixit Jeremias: *Facta est mihi ut aqua mendax, non habens fidem* (Jerem. 15, 18). Non de hac aqua dixit, quam putas. Lege diligenter. Ipsam enim mendacium hominum multitudinem dixit aquam mendacem more prophetico, sicut figurate loqui solent: sicut in Apocălypsi populos aquarum nomine novimus appellatos (Apoc. 17, 15). Nam sic ait Jeremias: *Ut quid qui contristant me, praevalent? Plaga mea valida est, unde sanabor? Facta est mihi ut aqua non habens fidem* (Jerem. 15, 18). Plagam suam sibi dixit factam ut aquam mendacem: eandem vero plagam suam eos appellavit, qui se contristabant. Quod enim ait: *Qui contristant me;* hoc dixit postea: *plaga mea*: et quod supra dixit: *praevalent;* hoc postea dixit: *valida est.*

65. *Alterius testimonii expositio.* — Sic et illic facitis, ubi scriptum est: *Ab aqua aliena abstine te, et de fonte alieno ne biberis.* Putatis

enim de baptismo dictum, qui est apud haereticos, ut ideo sit aqua aliena, quia haeretici regnum Dei non possidebunt: quasi non ita sit et apud ebriosos et apud invidos, et ceteros hujusmodi, de quibus dictum est: *Regnum Dei non possidebunt* (1. Cor. 6, 10, et Gal. 5, 21): et tamen in omnibus talibus, si secundum Evangelium baptizati sunt, Christi est baptismus, non ipsorum. Unde aqua illa non est aliena; cum ipsi alieni sunt, quibus dicturus est: *Non novi vos* (Matth. 7, 23). Cur non ergo potius intelligam aquam alienam et fontem alienum, doctrinam esse maligni spiritus, qua decipiuntur et seducuntur alienati a Deo per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis eorum: hoc expressius commendante Apostolo: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis daemoniorum* (1. Tim. 4, 1)? Haec est aqua aliena et fons alienus. Si enim aqua in bono intelligitur et Spiritus sanctus, cur non aqua in malo intelligatur et spiritus malignus? Non enim semper ubi aquam nominat Scriptura, hoc visibile baptismi sacramentum vult intelligi: sed aliquando ipsum, aliquando

aliud. Jam enim hoc visibili baptismo etiam alios discipuli Domini baptizaverant, antequam veniret in eos secundum ejus promissionem Spiritus sanctus: de quo tamen idem Jesus dicit: *Si quis sitit, veniat et bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquae vivae fluent de ventre ejus* (Joan. 7, 37). Et sequitur evangelista, et exponit unde sit dictum: *Hoc autem*, inquit, *dicebat de Spiritu, quem accepturi erant ii, qui in eum erant credituri. Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat clarificatus.* Ecce aquam dicit Spiritum, qui nondum erat datus, cum jam aqua illa baptismi multis fuisset data.

66. *Explicatio testimonii ex Proverbiis.* — Unde et illud, quod similiter non intelligitis, quod scriptum est: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus, et fons aquae tuae sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi, et non superfluant tibi aquae foras, et in plateis tuis discurrant aquae tuae* (Prov. 5, 15): non visibilem baptismum, quem possunt habere et alieni, id est, qui regnum Dei non possidebunt; sed hoc donum commendat Spiritus sancti, quod proprium est eorum tantum, qui regnabunt cum Christo in ae-

ternum. Quoniam *caritas Dei*, sicut dicit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5). Ipsa enim latitudo cordis, quam caritas facit, unde illam diffusam dicit, et unde ad corinthios ita loquitur: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (2. Cor. 6, 11), platearum nomine significata est.

67. *Quid desit haereticis ad salutem.* — Quod ergo aperte audimus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint* (1. Joan. 4, 1).: hoc figurate audimus: *Ab aqua aliena abstine te, et de fonte alieno ne biberis.* Et quod aperte audimus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5): hoc figurate audimus: *Fons aquae tuae sit tibi proprius, et nemo communicet tibi.* Multa enim munera Dei possunt habere et alieni, non solum ista communia cum lapidibus et arboribus, sicuti est esse et vigere; nec solum communia cum pecoribus, sicuti spirare, sentire: sed etiam majora jam hominum propria, sicuti est ratio, locutio, artes utiles innumerabiles, et alia multa. Ipsa etiam quae domui Dei data sunt, nonnulla ex eis habent

alieni, id est, non possessuri regnum Dei, quibus in fine dicetur: *Non novi vos;* etiam cum dixerint: *In nomine tuo prophetavimus et virtutes multas fecimus* (Matth. 7, 22). Quia, *etsi habeam*, inquit, *prophetiam, et sciam omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum* (1. Cor. 13, 2). Hoc est ergo donum Spiritus sancti proprium sanctorum, unde nemo communicat alienus. Hoc deest omnibus malignis et gehennae filiis, etiamsi Christi baptismo baptizentur, sicut Simon fuerat baptizatus. Hoc deest etiam haereticis: hoc accipiunt, cum correcti veniunt et unitatis vinculum sinceriter amplectuntur. Quod si non acciperent, etiam habentes baptismum Christi, non erant possessuri regnum Christi; quia non introierant ad fontem illum proprium aquarum discurrentium in plateis sanctorum, et foras non excurrentium, quo fonte caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Desinite itaque illa testimonia commemorare, quae aut non intelligitis, aut pro nobis contra vos esse intelligitis. Quod si ambigue posita, et pro nobis et pro vobis possent interpretari, nihil uti-

que adjuvarent causam vestram: quia et nos si talibus uti vellemus, innumerabilibus uteremur, quae causam nostram nihil similiter adjuvarent. Sed plane talia malam causam vel moras faciendo sustentant.

Cap. XXIV. 68. *Baptismus haereticorum est Ecclesiae.* — Ecce, inquiunt, de corpore Domini aqua profluxit. Et quid te hoc adjuvat, o haeretice? Multum, inquit: baptisma enim significat non esse, nisi in corpore Domini, id est, in Ecclesia. Melius diceres, de corpore Domini, hoc est, de Ecclesia; etiamsi jam constet, (quod adhuc forte diligentius requirendum est), aqua illa baptismum esse significatum. Nam et nos baptismum quem habetis, de corpore Domini esse dicimus, hoc est, de Ecclesia, quamvis in ea ipsi non sitis, sicut omnes qui non aedificant super petram, sed super arenam. Quare tamen non attendis aquam illam, qua baptismum significatum dicis, non tantum in corpore Domini fuisse, sed etiam de corpore ejus foras exiisse, et hoc per vulnus persecutoris? Neque enim et haeretici et omnes mali secum foras sacramenta traxissent, si unitatis integritatem in corpore Domini custodissent. Sed etiam hoc videtis quam profundum sit, et quanta mysterii altitudine occultum.

69. *Donatistae aliquid manifestum ex Scripturis pro se afferre debent.* — Jam sufficiat: desinite talibus agere. Omnia quae hujusmodi protuleritis, aut pro nobis sunt, aut ut multum causae nostrae minuam, incertum est pro quibus sint. Sed libenter in opertis immoramini, ne fateri aperta cogamini. Ecce Ecclesia, rogo, quid patimini? Ecce Ecclesia tot manifestissimis sanctarum Scripturarum testimoniis commendata et expressa, praedicta et demonstrata: *Sicut audivimus, ita et vidimus.* Quid tergiversaris quomodo suscipiaris? Cur detrectas sic suscipi, quomodo illa suscipit, cui testimonium perhibet qui mentiri non potuit? Doce Scripturas canonicas aperte dixisse, baptizandum esse in catholica Ecclesia qui apud haereticos in nomine Pátris et Filii et Spiritus sancti fuerit baptizatus. Quod si hoc docere non potes; illud doce, huic communioni tuae, id est, parti Donati, ubi hoc didicisti, apertum aliquod et manifestum testimonium a Scripturis canonicis perhiberi: et fatebor ad te esse transeundum, nec aliter esse suscipiendos haereticos, quam sicut suscipit ecclesia in qua es, quia tali testimonio declarata est. Quid aestuas? quid perturbaris? Non invenis in Scripturis canonicis, quod

a te justissime exigimus? Nam quod dicere soletis: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie* (Cant. 1, 6): vides quale sit, et quam pro te non sit. Noli ergo talia quaerere. Quia et si in partibus Aquilonis esset pars Donati, quae contrariae sunt partibus meridianis, diceret de se esse dictum: *Montes Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni* (Psal. 47, 3). Nam utique civitas regis magni non est nisi Ecclesia; et hoc potius indubitanter sonat Ecclesiâm, quam illud, *ubi pascis, ubi cubas in meridie.* Sed fortasse illo testimonio Marcion haereticus uteretur, qui dicitur Ponticus fuisse, quae partes ad Aquilonem sunt. Rursus si in Occidente esset pars Donati, diceret de se esse dictum: *Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi* (Psal. 67, 5). Fortassis enim sublimius esse diceret: *Ascendit super occasum*; quam, *cubat in meridie.* Haec mystica sunt, operta sunt, figurata sunt: aliquid manifestum, quod interprete non egeat, a vobis flagitamus.

70. *Quomodo catholici suscipiant haereticos.* — Ego itaque sic te suscipio, quemadmodum suscipit semen Abrahae *in quo benedicuntur omnes gentes* (Gen. 22, 18). Hoc forte obscurum esset, nisi Paulus ape-

ruisset semen Abrahae, quod est Christus (Gal. 3, 16). Sic te suscipio, quemadmodum suscipit illa *sterilis, cujus multi sunt filii magis quam ejus quae habet virum* (Isa. 54, 1). Quod obscurum esset, nisi Paulus dixisset, ipsam esse Ecclesiam matrem nostram, cui dictum est: *Dominus qui eruit te, ipse Deus universae terrae vocabitur*: cui dictum est: *Terra tua orbis terrarum.* Sicut suscipit regina illa, de qua in Psalmis dicitur: *Astitit regina a dextris tuis* (Psal. 44, 10): et cui dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (Id. 17). Postremo, ne multa commemorem, sic te suscipio, sicut suscipit Ecclesia *per omnes gentes incipiens ab Jerusalem:* sicut suscipit Ecclesia quae *testis est Christo in Jerusalem, et in tota Judaea et Samaria, et usque ad totam terram* (Act. 1, 8). Ille enim te suscipit, qui hoc de illa dixit, qui talibus eam verbis, ne quisquam de illa dubitaret, ostendit. Sic te suscipio, quemadmodum suscipit *triticum seminatum in agro, quod cum zizaniis crescit usque ad messem.* Hi sunt enim *filii regni, ager autem est mundus, messis est finis seculi*: Dominus exposuit, Evangelium est, verba Domini sunt, manifesta sunt. Possem tibi dicere, sic te suscipio, quemadmodum et

vos suscepistis quos Praetextatus et Felicianus a vobis damnati extra vestram communionem baptizaverunt. Cui rei quid contradicas, omnino non habes. Sed hoc potius dicam, quod et adversus ipsos maximianistas invictissime valeat, qui vos in duobus praecipue testimoniis, quibus imperitissime, tamen creberrime uti soletis, omnino vicerunt, et de paucitate et de meridie. Hoc ergo dicam, quod vos omnes tamquam pariter contra nos insurgatis, extinguat. Sic vos suscipimus, si corrigi vultis, quemadmodum suscipit Ecclesia, quam Dominus Jesus dixit ab Jerusalem coepturam, et in Actibus Apostolorum legimus inde coepisse: et per omnes gentes ituram, et in Actibus Apostolorum legimus per multas isse, antequam veniret in Africam, et per omnes gentes ituram antequam veniat finis: quia ipse Dominus ait: *Praedicabitur hoc Evangelium in omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* Ecce purgamenta ejus: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Ecce frumenta ejus: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth, 24, 12). Ubi hic Africa nominata est in parte Donati? Ecce iterum frumenta ejus: *Ut scias*, inquit Apostolus, *quemadmodum te oporteat in domo Dei*

conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (1. Tim. 3, 15). *Et sine dubio magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, asssumptum est in gloria* (Id. 3, 16). Ecce purgamenta ejus: *Spiritus autem*, inquit, *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis daemoniorum*, etc (Id. 4, 1). Ubi et hic Africa in parte Donati nominata est, ut in ea remanserit columna et firmamentum veritatis, aut pietatis sacramentum, de quo usque in finem ita cucurrit, ut diceret: *Praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria?*

71. *Quomodo huic epistolae respondendum.* — Quid ergo pluribus teneam? Qui respondere cogitat huic epistolae, scrutetur Scripturas: et aut manifestum de Africa, vel in qua sola, vel ex qua sola est pars Donati, proferat testimonium: quod ideo proferre non potest, quia illis tam manifestis, quae a nobis prolata sunt, repugnare Scriptura non potest: aut si suarum suspicionum, vel criminationum, vel calumniarum sectatores

credulos quaerit, et vult traducere in aliud Evangelium, quod non est aliud, atque annunciare nobis praeter quam quod accepimus, etsi angelus de coelo esset, anathema esset (Gal. 1, 8): quoniam et diabolus, qui propterea de coelo cecidit, quia in veritate non stetit, si anathema fuisset homini, quando ei praeter quam quod a Domino Deo acceperat, annunciavit, primi parentes carnis nostrae, nec in poenam mortis incidissent, nec de loco felicitatis exissent.

Caput XXV. 72. *Qualis sit Ecclesia.* Quapropter vos carissimi, quibus hanc epistolam scribo, praeceptum pastoris, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et nunc glorificatus et exaltatus sedet ad dexteram Dei Patris, corde fidelissimo et firmissimo retinete dicentis: *Quae sunt oves meae, vocem meam audiunt et sequuntur me* (Joan. 10, 27), Audistis ejus vocem manifestissimam, non solum per Legem ejus, et prophetas, et psalmos, sed etiam per os proprium commendantis Ecclesiam suam futuram. Et ea quae praedixit, quemadmodum ex ordine consecuta sint, in Actibus et litteris apostolorum, quae divinarum Scripturarum canonem complent, legendo perspicitis. Non est obscura quaestio, in qua vos fallant, quos ipse Dominus praedixit futuros atque dicturos: *Ecce hic*

est Christus, ecce illic: ecce in deserto (Matth. 24, 23), quasi ubi non est frequentia multitudinis: *Ecce in cubiculis*, quasi in secreti traditionibus atque doctrinis. Habetis Ecclesiam ubique diffundi et crescere usque ad messem. Habetis civitatem, de qua ipse qui eam condidit, ait: *Non potest civitas abscondi super montem constituta* (Matth. 5, 14). Ipsa est ergo, quae non in aliqua parte terrarum, sed ubique notissima est. Haec temporales aliquando etiam in suis frumentis patitur tempestates, ut in quibusdam locis non cognoscantur; sed tamen etiam illic latent [1]): neque enim falli potest divina sententia, quoniam crescunt usque ad messem.

1) *Haec temporales aliquando* etc. Fieri potest, ut boni fideles (hinc Ecclesiae frumentum) patiantur tempestatem, specie tenus ab Ecclesia separentur et deficere videantur errore inculpabili decepti et hinc schismate potius materiali, quam formali, quod mox exemplo confirmat. Plurimi enim boni catholici in Africa donatistarum calumniis et fraudibus decepti a Caeciliano, legitimo carthaginiensi episcopo se separarunt, hinc „quasi visa sunt per aliquam partem agri frumenta dominica defecisse", ut infra dicit Augustinus. *Nullo modo autem defecerant*, nam non schismatis amore se separarunt, sed decepti: hinc mox ac innotuit ipsis Caeciliani innocentia et universalis Ecclesiae judicium, relictis factionis ducibus ad Ecclesiam redierunt: hinc propter bonam fidem etiam specie tenus separati *in tritico deputabantur.*

73. *Plures e donatistis materialiter tantum erant schismatici.* — Itaque et in aliis gentibus saepe nonnulla membra Ecclesiae praevalentibus haeresum et schismatum seditionibus pressa atque obumbrata sunt; et tamen quia inerant, paulo post nullo dubitante claruerunt: et in ipsa Africa post illud Secundi tigisitani apud Carthaginem seditiosum turbulentumque concilium [1]), ubi et a femina nobili Lucilla operata corruptio postea judicialibus gestis commemorata est, cum inde literae pene per totam Africam, qua Ecclesiae Christi jam germinaverant, missae fuissent, creditum est literis concilii; neque enim aliter oportebat: et quasi visa sunt per aliquam partem agri frumenta dominica defecisse: nullo modo autem defecerant, quae vere frumenta erant praedestinata atque seminata, et alta radice feraciter germinantia. Salva enim conscientia literis concilii crediderant: neque enim ab hominibus de aliis hominibus aliquid incredibile dicebatur, aut eis contra Evangelium credebatur. Sed posteaquam illi furiosam pertinaciam usque ad dissensionem

1) Cf. de hoc concilio et de aliis, quorum hic fit mentio, Optatum de schismate donatistarum l. 1. n. 15. ss.

sacrilegam contra totum orbem christianum contentione obstinatissima perduxerunt, atque innotuit bonis fidelibus quos a Caeciliano alienaverat falsa criminatio: viderunt se, si in illa communione persisterent, non jam de quodam homine, vel de quibusdam hominibus, sed de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa pravum habere judicium; et maluerunt Christi Evangelio, quam collegarum concilio credere. Itaque illis relictis, mox ad catholicam pacem multi, et episcopi, et clerici, et populi redierunt: quod et antequam facerent, in tritico deputabantur. Tunc enim non faciebant, cum adversus homines male sibi a collegis insinuatos, non adversus Ecclesiam Dei, quae in cunctis gentibus crescit, illa eorum contradictio nitebatur. Itaque et in Africa triticum, quod filius hominis seminaverat, triticum mansit: et ex illo usque adhuc crevit et crescit: et deinceps usque ad messem fructificabit et crescet, sicut in omni mundo.

74. *Quinam ab Ecclesia sint praecisi.* — Nonnulli etiam bonae voluntatis per carnalem caliginem, etiam post confirmatum contra Ecclesiam Dei malignorum furorem, in illa dissensione diutius erraverunt, tamquam si adhuc mollia conculcarentur frumenta, et

radice viva herbae vigor ătterereťur: etiam ipsa tamen frumenta sua noverat Deus, quamvis ut reviviscerent arguenda et increpanda. Non enim eo modo dictum est Petro: *Redi post me, satana* (Matth. 16, 23): quomodo dictum est de Juda: *Unus ex vobis diabolus est* (Joan. 6, 71). Quidam quoque et apertissimae veritati malo studio contradixerunt: illi vero eradicati vel praecisi erant; sed non permanentes in infidelitate, sicut de quibusdam ramis fractis Apostolus dicit, manu divina replantati, aut iterum inserti sunt. Tunc enim quisque infructuosus et nondum a radice praecisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: sed cum pro ipsis operibus etiam veritati apertissimae qua redarguitur, resistere coeperit, tunc praeciditur. Et multi tales sunt in sacramentorum communione cum Ecclesia, et tamen jam non sunt in Ecclesia [1]. Alioquin si tunc quisque praeciditur, cum visibiliter excommunicatur, consequens erit ut tunc rursus inseratur, cum visibiliter communioni restituitur. Quid si ergo fictus ac-

1) *Jam non sunt in Ecclesia*, scil. ut membra viva, quae vitam vivunt Ecclesiae. Cf. supra annot.

cedat, atque adversus veritatem et Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis peragatur in eo illa solemnitas, numquid reconciliatur, numquid inseritur? Absit. Sicut ergo jam denuo communicans nondum insertus est: sic et antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem, qua convincitur et arguitur, inimicum gestat animum, jam praecisus est. Ita fit, ut et semen bonum et semen malum, utraque per agrum crescant usque ad messem: id est, et filii regni et filii maligni utrique per mundum crescant usque in finem seculi; illis fructum ferentibus cum tolerantia, illis cum sterilitate amaricantibus.

75. *Donatistarum pertinacia.* — Vos autem innitentes tot evidentissimis testimoniis Legis, prophetarum, psalmorum, ipsius Domini et Apostolorum, de sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, exigite ab istis, ut ostendant de Africa, quod attinet ad partem Donati, aliqua manifesta de canonicis libris testimonia. Neque enim, sicut jam dixi, ullo modo fieri posset, ut Ecclesia, sicut dicunt, et quod absit, tam cito ex tot gentibus peritura, tot testimoniis tam sublimiter et tam indubitanter praedicaretur; et de ista, quam volunt, sua, quae usque in finem, sicut contendunt, permansura fuerat, taceretur.

Mementote enim quid illi diviti dictum sit, cum apud inferos torqueretur, et ad fratres suos aliquem ex mortuis mitti vellet. *Habent illic*, inquit, *Moysen et prophetas* (Luc. 16, 29). Et cum ille diceret non eos credituros, nisi ad eos isset aliquis mortuorum: *Si Moysen*, inquit, *et prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Dixit Moyses, quod *in semine Abrahae benedicentur omnes gentes.* Dixerunt prophetae: *Tu vocaberis voluntas mea, et terra tua orbis terrarum*: et, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae.* His et talibus tam manifestis praenunciationibus Ecclesiam demonstrantibus, isti credere noluerunt. Surrexit Dominus a mortuis, dixit, *in nomine suo praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Illi, qui Moysi et prophetis non crediderant, nec Domino resurgenti a mortuis crediderunt. Quid restat, nisi ut divitis illius tormenta sortiantur? Quae vos fugientes dum adhuc tempus est, antequam de hac vita emigretur, divinis eloquiis constanter inhaerete, ut nec in vita conturbemini, et post hanc vitam quod semini Abrahae promissum est, accipere mereamini. Amen.

S. AUR. AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
PSALMUS
CONTRA PARTEM DONATI[1]).

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Abundantia peccatorum solet fratres conturbare:
Propter hoc Dominus noster voluit nos praemonere,

1) De hoc psalmo ita scribit Augustinus l. 1. c. 20: „Volens etiam causam donatistarum ad ipsius humillimi vulgi et omnino imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire, et eorum quantum fieri posset per nos inhaerere memoriae, psalmum qui eis cantaretur per latinas literas feci, sed usque ad V literam. Tales autem *abecedarios* appellant. Tres vero ultimas omisi, sed pro eis novissimum quasi epilogum adjunxi, tamquam eos mater alloqueretur Ecclesia. Hypopsalma etiam, quod responderetur, et prooemium causae, quod nihilominus cantaretur, non sunt in ordine literarum; earum quippe ordo incipit post prooemium. Ideo autem non aliquo carminis ge-

Comparans regnum coelorum reticulo misso in mare[1]),
Congreganti multos pisces, omne genus, hinc et inde:
Quos cum traxissent ad litus, tunc coeperunt separare,
Bonos in vasa miserunt, reliquos malos in mare.
Quisquis novit Evangelium, recognoscat cum timore.
Videt reticulum Ecclesiam, videt hoc seculum mare.
Genus autem mixtum piscis, justus est cum peccatore.
Seculi finis est litus: tunc est tempus separare.
Quando retia ruperunt, multum dilexerunt mare.
Vasa sunt sedes sanctorum, quo non possunt pervenire.

---

nere id fieri volui, ne me necessitas metrica ad aliqua verba, quae vulgo minus sunt usitata compelleret. Iste psalmus sic incipit: *Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate*, quod ejus hypopsalma est, id est versus seu sententia, quam identidem populus cantando repetebat. Habes in hoc psalmo specimen caritatis prope maternae zelique studiosi atque sollertis s. doctoris, quo nitebatur omnia omnibus fieri, ut omnes lucrifaceret Christo. Scriptus autem est hic psalmus circiter finem a. 393.

1) Matth. 13, 48.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Bonus auditor fortasse quaerit, qui ruperunt rete?
Homines multum superbi, qui justos se dicunt esse[1]).
Sic fecerunt scissuram et altare contra altare.
Diabolo se tradiderunt, cum pugnant de traditione[2]),
Et crimen quod commiserunt, in alios volunt transferre:
Ipsi tradiderunt libros, et nos audent accusare,
Ut pejus committant scelus, quam commiserunt et ante.
Quod possent causam librorum excusare de timore[3]).

---

1) *Qui justos se dicunt esse* i. e. donatistae, qui, ne macularentur communione cum catholicis, quos ipsi variorum criminum accusabant, se ab Ecclesia separarunt: atque ita ipso facto justos se esse jactabant.

2) *Pugnant de traditione*, objiciunt donatistae catholicis traditionis crimen, quod scil. tempore persecutionis s. Scripturas fidei hostibus tradiderint, quod crimen tamen ipsi commiserunt. Cf. Optatum de schism. donatist. l. 1. n. 18. s.

3) *Quod possent* etc. Longe majus est crimen schismatis crimine traditionis, quod possent excusare

Quod Petrus Christum negavit, dum terreretur de morte:
Modo quo pacto excusabunt factum altare contra altare?
Et pace Christi conscissa spem ponunt in homine?
Quod persecutio non fecit, ipsi fecerunt in pace.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Custos noster, Deus magne, tu nos potes liberare
A pseudoprophetis istis, qui nos quaerunt devorare.
Maledictum cor lupinum contegunt ovina pelle:
Qui[1]) noverunt Scripturas, hos solent circumvenire.
Audiunt enim traditores, et nesciunt quod gestum est ante.

---

metu incusso, cui succubuere vel etiam lapsu Petri, qui timore perculsus ter Dominum negavit, sed schisma excusare non possunt. *Spem ponunt in homine*, quatenus putant, sacramenta a malis collata non tantum non valere neque prodesse, sed potius polluere: proinde salutem nostram pendere a bonitate ministri.

1) Deesse videtur negatio, *non*.

Quibus si dicam, probate, non habent quid respondere.
Suis se dicunt credidisse; dico ego mentitos esse:
Quia et nos credimus nostris, qui eos dicunt tradidisse.
Vis nosse qui dicant falsum? qui non sunt in unitate.
Olim jam causa finita est, quod vos non statis in pace[1]).

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Dixerunt majores nostri, et libros fecerunt inde,
Qui tunc causam cognoverunt, quod recens possent probare[2]).
Erant quidam traditores librorum de sancta lege,

---

1) *Quod vos non statis in pace.* Eo ipso quod vos separastis ab unitate, auctores estis discordiae et schismatis, et hinc causa finita est, nam vos estis rei gravissimi criminis. — Putant aliqui nonnulla hic deesse, quod ceterae hujus psalmi strophae duodecim constent versibus. Tamen infra redit stropha, quae tantum 10 versibus constat.

2) *Quod recens possent probare*, scil. majores nostri causam cum donatistis bene cognoverunt, quod facile possent omnia utpote recentia et quae suo tempore contigerint probare.

Episcopi de Numidia, et non quilibet de plebe:
Cum Carthaginem venissent episcopum ordinare,
Invenerunt Caecilianum jam ordinatum in sua sede:
Irati sunt, quia ipsi non potuerunt ordinare.
Erant Botrus et Coelestius hostes Caeciliano valde,
Impii, fures, superbi, de quibus longum est referre[1],
Junxerunt se simul omnes crimen in illum conflare.
Dicunt ordinatorem ejus sanctos libros tradidisse.
Sic pacis retia ruperunt, et errant modo per mare.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Ecce quam bonum et quam jucundum fratres in unum habitare.
Audite vocem prophetae, ut sitis in unitate.
Crimen nobis quis probavit antiquum de traditione?
Quis objecit in judicio? Qui sederunt judicare?

---

1) Cf. Optatum de schismate donatistarum l. 1. n. 13. ss.

Quibus testibus convicit? Quis ausus est affirmare?
Sed hoc libenter finxerunt, quod se noverunt fecisse:
Quia fama jam loquebatur de librorum traditione;
Sed qui fecerant latebant in illa perditione[1]).
Inde alios infamaverunt, ut se ipsos possent celare:
Per illos ceteri erraverunt principes ex ipsa parte:
Quia non credere collegis putaverunt sibi turpe.
Jam, fratres, finitur[2]) error, et simus in unitate.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Fecerunt quod voluerunt tunc in illa coecitate:
Non judices sederunt, non sacerdotes de more,
Quod (*f.* quo) solent in magnis causis congregati judicare:
Non accusator et reus steterunt in quaestione:
Non testes, non documentum, quo possent crimen probare.

1) *In illa perditione*, publica calamitate et persecutione, qua Ecclesia tam atrociter vexabatur.

2) Forte *finiatur*.

Sed furor, dolus, tumultus, qui regnant in falsitate.
Proferantur nobis gesta, quae in concilio solent esse,
Videamus quae res coëgit fieri altare contra altare.
Si malus erat sacerdos, deponendus erat ante:
Si non poterat deponi, tolerandus intra rete:
Sicut modo toleratis tam multos malos aperte:
Et qui fertis pro furore[1]), ferretis unum pro pace.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Gaudium magnum esset nobis, si tunc nolletis errare:
Sed si tunc non visum est verum, vel nunc experti videte.
Multos nunc habetis pravos, qui vobis displicent valde:
Nec tamen hos separatis a vestra communione.
Non dico de illis peccatis, quae potestis et negare:

1) *Qui fertis pro furore.* Respicit hic circumcellionum furorem, quos donatistae in sua communione tolerabant, et de quibus mox disserit. Cf. vitam s. Augustini a Possidio scriptam c. 10. opusc. 8. — *Si tunc* cum scil. primum oriretur schisma.

Fustes, ignes, mortes dico, quae committunt vestri in luce.
Et tamen suffertis illos, vel errore, vel timore.
Quantum erat, ferrent unum patres vestri pro unitate,
Si tantus erat tumultus[1]), ut non possent degradare.
Addo quod innocens erat, et nil poterant probare.
Sed ne crimen quaereretur, ubi se videbant esse,
Finxerunt se nimis justos, cum totum vellent perturbare.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Honores vanos qui quaerit, non vult cum Christo regnare:
Sicut princeps hujus mali, de cujus vocantur parte.
Nam Donatus cum volebat Africam totam obtinere,
Tunc judices transmarinos petiit ab Imperatore:

---

1) *Si tantus erat tumultus.* Si pro timore possunt tolerare in sua communione circumcelliones, quanto magis potuissent tolerare Caecilianum, cum tantum oriturum erat malum scil. triste schisma ex eorum ab ipso separatione.

Sed haec tam injusta petitio non erat de caritate.
Hoc ipsa veritas clamat, quam volo modo referre.
Nam consensit Imperator, misit qui sederent Romae
Sacerdotes, qui tunc possent Caecilianum cum illo audire.
Dicta causa est, nil probatum est: ausus est et appellare;
Et post collegarum sedem[1]), audire ab Imperatore.
Hic petitio illa probatur non esse de caritate.
Deinde ubique victus coepit christianos rebaptizare.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Justitiam sequi si vultis, totam causam cogitate.
Quod postea fecit[2]), quare factum non est ante?

---

1) *Post collegarum sedem* i. e. episcoporum consessum, synodum. *Audire* melius forte *audiri*. Cf. de his Optatum de schism. donat. l. 1. n. 22. ss.

2) *Quod postea fecit.* Videtur hic carpere donatistas, quod ante fecerint schisma, dein petierint ju-

Dissentiebant sacerdotes in tota africana parte;
Sacerdotes transmarini possent inde judicare:
Quid curritis ad schisma et altare contra altare?
Ut quod postea judicatum est, jam non possetis audire,
Et a judicibus vestris cogeremini appellare,
Dum vultis erroris regnum quoquo modo confirmare.
Et nunc et vos totum nescitis, et fingitis vos nescire:
Et cum vos veritas urget, patres dicitis errasse,
Quasi vos aliquis vetet jam recedere ab errore.
Sed superbia vos ligavit in cathedra pestilentiae.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Caritatem Christi qui habet, pacem non potest odisse.
Vel vos jam populi audite, et nobiscum concordate,
Qui non tenetis cathedram, pro qua pugnetis injuste.

---

dices transmarinos, quod antea erat faciendum. Conflato enim jam schismate mirum esse non debet, quod judices non audierint et ab illis appellaverint: nam erroris regnum semel erectum quoquo modo debebant seu potius volebant confirmare.

Si modo episcopi vestri ex una aliqua regione
Haberent inter se litem, quos velletis judicare,
Nisi alterarum regionum, qui non essent de ipsa lite?
Sed cum discussissent causam, pronunciarent pro una parte:
Nunquam communicaretis qui illis nollent consentire.
Quare ergo consensistis istis, qui hoc fecerunt ante?
Nam et ipsi non consenserunt transmarinorum sententiae,
Qui pro nobis judicarunt: nam nobis junguntur hodie.
Si judex Christus hoc dicat, quid habetis respondere?

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Lumen cordis si est in vobis, verum potestis videre.
Sunt preces Donati et acta, quibus quod dictum est probate.
Quae si credere non vultis, vos huc aliqua proferte,
Quibus si et nos non credimus, erit rixa sine fine.

Amplectamur ergo pacem: quid ad nos quod gestum est ante?
Objicitis traditionem: respondemus vos fecisse.
Clamatis vos de Macario[1]), et nos de Circumcellione.
Illud nostrum jam transactum: vestri non cessant usque hodie.
Habeat paleas area vestra, vos hoc solum vultis esse:
Vos enim non vultis pacem; illi minantur de fuste.
Et utinam minarentur, et non tunderent quotidie.
Hos si expellunt isti, vestri[2]) non habent per quos regnare.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

---

1) *De Macario.* Hic missus fuit ab imperatore in Africam, ut donatistas poenarum etiam metu ad meliora consilia revocaret, circumcellionum vero furorem comprimeret: hinc maxime donatistae in illum invehebantur ac calumniam diffundebant maximam inde invidiam catholicis facientes, quasi persecutionis essent auctores. Cf. Optatum, qui passim illum a calumniis tuetur ut l. 3. n. 7. ss.; 12.; l. 7. n. 6. s. — *Vos hoc solum vultis esse* scil. palea, quia perseveratis in schismate.
2) *Vestri* scil. episcopi.

Modum si excessit Macarius, conscriptum in christiana lege,
Vel legem regis referebat, ut pugnaret pro unitate:
Non dico istum nihil peccasse, sed vestros pejores esse.
Quis enim praecepit illis per Africam sic saevire?
Non Christus, non Imperator probatur hoc permisisse,
Fustes et ignes privatos, et insaniam sine lege.
Quia scriptum est, *Reconde gladium*, scelus non putant in fuste[1]).
Non ut homo moriatur, sed ut conquassetur valde,
Et postea moriatur, inde jam cruciatus languore.
Sed tamen si miserentur, occidunt et uno fuste.
Fustes Israëles[2]) vocant, quod dixerunt cum honore;

1) Cf. Optatum l. 3. n. 7. de hac donatistarum explicatione, qua ex verbis Christi Matth. 26, 52. inferebant, jam non licere uti gladio adversus Ecclesiae hostes.

2) *Israëles vocant*, praevalentes Deo, quod jactent se illis Dei causam tueri et promovere: qua tamen appellatione summam Deo injuriam inferunt seu sacrum illud nomen a Deo impositum infamant.

Ut plus vastent ipsum nomen, quam corpus quod
caedunt inde.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Nolite nobis jam, fratres, tempus Macarii imputare.
Si crudeles erant illi, et nobis displicent valde:
Si autem falsa de illis dicunt, Deus potest judicare.
Nos amemus pacem Christi, gaudeamus in unitate.
Si qui mali sunt in Ecclesia, nil nobis possunt
nocere.
Si non possunt nobiscum esse, excludantur salva
pace:
Si non poterunt excludi, excludantur vel de corde.
Dixit Ezechiel sanctus, quosdam consignatos
esse [1]),
Qui gemunt peccata fratrum, et non se separant
inde.
Sic nos propter malos fratres, non separemur
a matre.
Quod tunc impii fecerunt, extra levantes altare,

1) Ezech. 9, 4.

Ut pejores nunc haberent, quam quos se fingunt fugisse.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Omnis qui Scripturas legit, novit quod volo aperire.
Joannes Baptista dixit tunc ad judaeos aperte[1]),
Quod illos tamquam aream suam Christus posset ventilare.
Misit in messem operarios discipulos praedicare:
Per quos area collecta est et ventilata de cruce.
Tunc justi tamquam frumentum ecclesias impleverunt caste,
Vendentes quae possidebant, et mundo dicentes vale.
Illi tamquam semen erant, quod toto dispersum est orbe,
Ut alia surgeret messis, quae ventilanda est in fine.
Haec crescit inter zizania, quia sunt haereses ubique:
Hujus palea sunt injusti, qui non sunt in unitate:

1) Matth. 3, 12.

Ex quibus si erat Macarius, nos quid vis rebaptizare?

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Pone in corde areas duas, ut possis quod dico videre.
Certe et priores habebant sanctos, sicut ostendunt Scripturae.
Nam et septem millia virorum Deus se dixit reliquisse[1].
Et sacerdotes et reges, multi justi sunt in lege.
Ibi habes tantos prophetas, habes multos et de plebe.
Dic mihi quis tunc justorum separavit sibi altare?
Multa scelera admittebat iniquus populus ille,
Idolis sacrificatum est, tot occisi sunt prophetae.
Et nemo tamen justorum recessit ab unitate.
Justi injustos sufferebant, venturo ventilatore.
Uno templo miscebantur, sed mixti non erant corde.
Dicebant in illos tanta, et unum habebant altare.

1) Reg. 19, 18.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Quid vobis ad haec videtur? Secunda messis Ecclesiae,
Quae per totum orbem crescit, plura debet sustinere.
Habet enim Domini exemplum et in Juda traditore.
Hunc inter bonos ferebat, hunc misit et praedicare.
Malus servus praedicabat, sed Christus erat in fide.
Quia qui judici credebant, non curabant de praecone.
Quando dedit sanctam coenam, nec tunc illum exclusit inde:
Et posset per illum tradi, etiam si exisset ante.
Sed nobis exemplum datum est malos fratres tolerare,
Ut quando non possunt excludi, solo separemur corde.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Rogo, respondete nobis, quid vultis rebaptizare?

Lapsos sacerdotes vestros pellitis a communione[1]:
Et nemo tamen post illos ausus est rebaptizare;
Et quoscunque baptizarunt, vobis communicant hodie.
Quid ab iis acceperunt, si non habebant quid dare?
Legite quomodo adulteri puniantur in sancta lege.
Non enim dicere possunt, quod peccarunt a timore[2].
Si sancti soli baptizant, post istos rebaptizate.
Quid calumniamini nobis, quia sumus in unitate,
Qui nondum eramus nati in illa persecutione?
Scriptum est, peccata patrum ad filios non pertinere[3].

---

1) Respicit hic factionem donatistarum, quae defecit a Primiano, de qua cf. annot. supra.

2) *Legite quomodo* etc. Primianus cum suo concilio Maximianum ejusque asseclas vocarunt adulteros: adulterii autem summum est crimen, ut patet ex Lege, majus crimine traditionis, quo quis metu perculsus tempore persecutionis sacros codices tradit. Jam vero si vos donatistae, post eos non baptizatis, quos adulteros dixistis, quid nobis crimini vertitis, quod nos baptizatos a traditoribus non baptizamus?

3) Deut. 24, 16.

Sed nemo dat fructum bonum, si praecisus est de vite.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Scitis catholica quid sit, et quid sit praecisum a vite.
Si qui sunt inter vos cauti, veniant, vivant in radice,
Antequam nimis arescant, jam liberentur ab igne.
Ideo non rebaptizamus, quod unum signum[1]) est in fide:
Non quia vos sanctos videmus, sed solam formam tenere.
Quia ipsam formam habet sarmentum, quod praecisum est de vite.
Sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?
Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite.
Dolor est cum vos videmus praecisos ita jacere.
Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede,

---

1) *Unum signum*, unum baptisma characterem inprimens, quo quis formam membri corporis Christi induit; sed haec forma non sufficit ad vitam, ut patet ex sarmento vel membro praeciso, sed requiritur vitalis unio cum reliquo corpore et capite.

Et in ordine illo patrum quis cui successit, videte:
Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae[1]).

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Talis si quis ad te veniat plenus catholica fide,
Quales illos sanctos viros omnes solemus audire,
Et si tibi dicat, frater, quid me vis rebaptizare?
Quid sit ante factum nescio, nunc autem sum in Christi fide.
Si me maculat quod nescio, tu qualis sis nunc ostende.
Vultus tuos ecce attendo, ignoro quid sit in corde.
Si me maculat quod nescio, tu me maculas fortasse.
Et si credo esse sanctum, quibus communicas vide.
Si maculat quod nescimus, jam non potes sanctus esse,

1) Cf. in h. l. quae disseruimus opusc. t. 10. praefat. n. 12. ss.

Quem maculant tot peccata, quae committunt vestri occulte:
Si autem quod nescis non curas, nec ego quod factum est ante.
Et tamen christianum talem audes rebaptizare.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Vae qui pro cathedris vestris sic contenditis injuste.
Clamatis vos solos sanctos, aliud dicitis in corde:
Quia videtis et vos, multos malos abundare ubique:
Numquid dicere potestis: Mixti sumus intra rete?
Respondetur enim vobis, jam vos illud disrupisse.
Neque dicere potestis, paleas vos sustinere:
Iterum enim respondemus, hoc fecissetis et ante.
Non enim pejores erant[1]) illo Juda traditore:
Cum quo apostoli acceperunt primum sacramentum coenae,
Cum tanti sceleris reum inter se jam scirent esse[2]):

---

1) *Non enim pejores erant* illi, propter quos rete disrupistis, schisma fecistis, scil. Caecilianus et episcopi, qui eum ordinarunt, *illo Juda* etc.

2) Joan. 13, 26.

Nec tamen hos inquinabant sordes in alieno corde.
Et tamen christianos fratres audetis rebaptizare.

Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

Audite, fratres, quod dico, et mihi irasci nolite:
Quia non sunt falsa quae auditis, potestis et considerare.
Quid si ipsa nunc Ecclesia vos alloquatur cum pace,
Et dicat: O filii mei, quid querimini de matre?
Quare me deseruistis jam volo a vobis audire.
Accusatis fratres vestros, et ego laceror valde.
Quando me premebant gentes, multa tuli cum dolore,
Multi me deseruerunt, sed fecerunt in timore[1]):
Vos vero nullus coëgit sic contra me rebellare.
Dicitis mecum vos esse, sed falsum videtis esse.
Ego Catholica dicor, et vos de Donati parte.
Jussit me Apostolus pro regibus mundi orare[2]):

---

1) *In timore* propter timorem tormentorum.
2) 1. Tim. 2, 2.

Vos invidetis, quod reges jam sunt in christiana fide.
Si filii estis, quid invidetis, quia auditae sunt preces meae?
Quando enim dona miserunt, noluistis acceptare.
Et obliti estis prophetas, qui illud praedixerunt ante,
Quod gentium reges magni missuri essent dona Ecclesiae:
Quae dona cum respuistis, ostendistis vos non esse:
Et Macarium coëgistis suum dolorem vindicare.
Sed ego quid vobis feci, vestra mater in toto orbe?
Expello malos quos possum, quos non possum cogar ferre:
Fero illos donec sanentur, aut separentur in fine.
Vos me quare dimisistis, et crucior de vestra morte?
Si multum malos odistis, quales habetis videte.
Si et vos toleratis malos, quare non in unitate,
Ubi nemo rebaptizat, nec altare contra altare?
Malos tantos toleratis, sed nulla bona mercede:

1) Cf. de his Optatum l. 3. n. 3. ss. Donatus enim superbia inflatus sprevit eleemosynas, quas Constantinus imp. in Africam miserat per Paulum et Macarium.

Quia quod debetis pro Christo, pro Donato vultis ferre[1]).
Cantamus vobis, fratres, pacem si vultis audire.
Venturus est judex noster, nos damus, exigit ille.

---

1) *Pro Donato*, pro amore suae factionis tolerabant circumcellionum furorem, ne si hos a sua excluderent communione, horum iram in se converterent et factio penitus dissiparetur. — *Nos damus* offerimus vobis pacem; *exigit ille* judex odio habet dissidium, exigit unionem et concordiam fraternam seu pacem.